1. gr. b. 221 m

Aesopus

<36611236090012

<36611236090012

Bayer. Staatsbibliothek

dupl

Fridelinus Galdner
est possessor huius libri

O Anime Christi si iuste
Amare sine hunc librum
Christi si diligis Christum,
Noli deliberare istum,
Si ut esse cognatus Fridelinus
Galdner a Clarona iuxta
ego Vocatus Atq. educatus
Anno domini 1570 Lau:

AESOPI PHRYGIS ET ALIORVM FABVLAE.

HIS acceſſerunt, Abſtemij Hecatomythion ſecundum. Quædam aliæ incerto interprete, unà cum ſelectis Poggij facetijs.

ADDITA *ſunt* Io. Fr. *Quintiani* Diſticha *in Fabulas* P. Ouidij Naſonis Metamorphoſeon.

TIGVRI EX OFFICINA FROSCHOVIANA.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

GVILIELMVS CANONICVS D. AVRELII Augustini Florentio suo illustri Baroni Iselsteino, S. D.

Abulas Aesopi cũ ex oratione ligata in solutã uertissem, tibi florẽtissime Florenti dicare placuit. Quàm enim sis amans literarũ, ex meo Antonio uiro literatissimo facile intelligo. Nam eum tu quidẽ quòd eruditũ scires, acciuisti, et is tui amantissimus est, cũ ob alia quędam, tũ ob amorem tuum erga literatos. Neque illud prætereire debeo, me quoq; à te uehementer amari, & te commendante magistro Antonio, succensum desiderio nostri. Apprime sanè decere solet, qui genere sit illustris, eum esse amicum & familiarem literarum, quæ, ut cætera commoda earum sileam, uel solæ adeo faciũt immortalem. Erit autem harum fabularum lectio, tibi, ut opinor, utilis, quippe ubi multa ad bene uiuendum

appoſita inuenies, grata certe & iucun da earum lectio non eſſe nō poteſt. Ha ctenus autē eas illis, qui alias complu res ſcripſerint, fuiſſe neglectui ſatis mi ror. Nec equidē tamen ſcripturus fuiſ ſem, ni & Titus Liuius harum in hiſto ria meminiſſet, & Flaccum noſtrum in epiſtolis uſum uiderem, & Quintilia num in inſtitutionum libris utendum ſuadere cernerem. Sed ſatis iam exor dij. Illud te admonitū uelim, ne ſis in ſcius, animantes, quæ iam mutæ ſunt, olim fuiſſe loquaces. Vale, & me ut fa cis ama.

AESOPI

PHRYGIS FABVLAE.

De gallo gallinaceo.

GALLVS GALLINACEVS *dum uerrit stercorarium, offendit gemmam: Quid, inquiens, rem sic nitidam reperio? Si gemmarius reperisset, nihil esset eo lætius, ut qui precium sciret. Mihi quidem nulli est usui, nec magni æstimo, imò equidem omnibus gemmis granum hordei malim.*

Morale.

Per gemmam, artem sapientiamq; intellige: per gallum, hominem stolidum & uoluptarium. Nec stolidi artes liberales amant, cum usum earum nesciant: nec uoluptarius, quippe cui una placeat uoluptas.

De lupo & agno.

LVpus ad caput fontis bibens, uidit agnum procul infrà bibentem. Accurrit, agnum increpat, quod turbarit fontem. Trepidare agnus, supplicare ut parcat innocenti: se, quando longe infra biberit, potum lupi ne potuisse quidem turbare, nedum uoluisse. Lupus contra intonat: Nihil agis sacrilege, semper obes. Pater, mater, omne tuum inuisum genus sedulo mihi aduersatur: tu mihi dabis hodie pœnas.

Morale.

Vetus dictum est, ut canem cædas, facile inueniri baculum. Potens, si libeat nocere, facile capit nocendi causam. Satis peccauit, qui resistere non potuit.

De muribus & ranis.

BEllum gerebat mus cum rana: de paludis certabatur imperio. Pugna erat uehemens & anceps. Mus callidus sub herbis habitãs, ex insidijs ranam adoritur. Rana uiribus melior, pectore & insultu ualens, aperto Marte hostẽ lacessit. Hasta utrique erat iũcea. Quo certamine procul uiso, miluus approperat. Dumq; præ studio pugnæ neuter sibi cauet, utrumq; bellatorem miluus rapit ac laniat.

Itidem euenire solet factiosis ciuibus, qui accensi libidine dommandi, dum inter se certant fieri magistratus, opes suas, plerunq; etiam uitam in periculo ponunt.

De cane & umbra.

CAnis tranans fluuium, rictu uehebat carnem: splẽdente sole, ita ut fit, umbra carnis lucebat in aquis. Quã ille uisam auide captãs, quod in faucibus erat perdidit. Itaq; tum rei, tum spei iactura perculsus: primum stupuit: deinde animum recipiens, sic elatrauit: Miser, deerat cupiditati tuæ modus. Satis superq; erat, ni despuisses: iam per tuam stultitiam minus nihilo tibi est.

Monemur hac fabella modestiæ, monemur prudentiæ, ut & cupiditati sit modus, ne certa pro incertis amittamus. Astute certe Terentianus ille Sannio: Ego, inquit, spem pretio non emo.

De leone & quibusdam alijs.

CVm oue, quibusdamq; alijs pepigerat leo uenationem fore communem. Itur uenatum: capitur ceruus: partiuntur singulas singulis partes. Tollere, ut conuenerat, incipientibus, leo irrugijt: Vna, inquiens, pars mea est, quia sum dignissimus. Altera itẽ mea est, quia uiribus præstãtissimus. Porrò quia in capiundo ceruo plus sudauerim, uendico tertiam.

tiam. Quartam denique partem ni conceſſeritis, actum eſt de amicitia. Socij hoc audito, diſcedunt uacui & taciti, non auſi mutire contra leonem.

Rara ſemper fuit fides apud hoc ſæculũ, rarior eſt apud potentes: & eſt, & fuit ſemper rariſsima. Quocirca ſatius eſt ut uiuas cum pari. Qui enim cũ potentiore uiuit, neceſſe habet ſæpe de ſuo iure cõcedere. Cũ æquali æquale tibi ius erit.

De lupo & gruc.

Lupo uoranti ouem, forte oſſa hæſere in gula. Ambit, orat opem, opitulatur nemo. Omnes dictitant tuliſſe eũ pretium uoracitatis. Tandem blanditijs multis pluribuſque promiſsis gruem inducit, ut collo longiſsimo in gulam inſerto, os infixum eximeret. Petenti autem præmium illuſit. Ine pta, inquit, abi. Non ſat habes quòd uiuis? uitam debes mihi. Si libuiſſet, licuit præmordere collum tuum.

Tritum eſt: Perire quod facis ingrato.

De ruſtico & colubro.

Ruſticus repertum in niue colubrum frigore propè enectum, domum tulit, abiecit ad focum. Coluber ab igni uim uirusque recipiens, deinde flammam non ferens, omne tugurium ſibilando infecit. Accurit ruſticus, correpta ſude, uerbis uerberibuſque cum eo iniuriam expoſtulat. Num hanc referat gratiam? num uitam erepturus ſit illi, qui uitam ipſi dederit?

Fit interdum ut obſint tibi, quibus tu profueris: & male de te mereantur ij, de quibus tu bene ſis meritus.

De apro & aſino.

Dum iners aſinus irrideret aprum, ille indignans frendebat: Malũ quidem ignauiſsime fueras meritus, ſed etiam ſi tu pœna fueras dignus, tamen ego indignus qui à te

pœnas sumam. Irride tutus: impune tibi licet: tutus enim es ob inertiam.

Demus operam, ut cum indigna nobis audimus aut patimur, ne indigna nobis dicamus aut faciamus. Mali enim & perditi plerunq; gaudent, si quispiam bonorũ eis resistat. Magni pendunt se haberi dignos ultione. Imitemur equos & magnas bestias, qui oblatrãtes caniculos cũ contẽptu prætereũt.

De mure urbano & mure rustico.

Libitum est urbano muri deambulare rus. uidit hũc mus rusticus, inuitat: apparatur, itur cœnatum. Depromit rusticus quicquid posuerat in hyemem: & exhaurit omne penu, ut tanti hospitis expleat lautitiam. Vrbanus tamen frontem corrugans, ruris damnat inopiam, urbis subinde laudat copiam. Remeans ducit secum in urbem rusticũ, ut quæ uerbis iactitãrat, re comprobaret. Ineunt conuiuium, quod urbanus splendide comparârat. Inter epulãdum auditur in sera murmur clauis: trepidare illi, & fugitare fugitando. Rusticus & insuetus & loci ignarus, ægre se tueri. Discedente famulo redit urbanus ad mensam, uocat rusticum: ille uix tandem metu depositio prorepit. Inuitantem ad pocula urbanum percontatur, num hoc periculum crebrũ sit. Respondet ille quotidianum esse, oportere contemni. Tum rusticus, Quotidianum, inquit? Me hercule istæ dapes plus fellis quàm mellis sapiunt. Equidem malo cum securitate meam inopiam, quàm tum tali anxietate istam copiam.

Diuitiæ præ se ferunt quidem uoluptatem, sed si introspicias, habent pericula & amaritudinem. Eutrapeles quidam fuit, qui cum inimicis suis quàm maxime nocere uellet, diuites eos faciebat, dicitans ita se eos ulcisci, quippe accepturos cum diuitijs ingentem sarcinam curarum.

De

De aquila & cornicula.

AQuila nacta cochleam, non ui aut arte quiuit eruere piscem. Accedens cornicula dat consilium. Suadet subuolare, et è sublimi cochleam in saxa præcipitare: sic enim fore, ut concha frangatur. Humi manet cornicula, ut præstoletur casum: præcipitat aquila, frangitur testa, subripitur piscis à cornicula, dolet elusa aquila.

Noli quibusuis habere fidem, & consilium quod ab alijs acceperis, fac inspicias. Multi enim consulti non suis consultoribus sed sibi consulunt.

De coruo & uulpecula.

PRædam nactus strepitat in ramis coruus. Videt uulpecula gestientem, accurrit. Coruum, inquit, plurima salute impertit uulpes. Sæpenumero audieram famam esse mendacem, iam reipsa experior. Nam ut hac forte iam prætereo, suspiciens te in arbore aduolo culpans famam. Fama enim est, te nigriorem pice esse, & uideo candidiorem niue. Meo sane iudicio cygnos uincis, et hedera formosior alba es. Quod si ut plumis, ita & uoce excellis, omnium equidem te dixerim reginam. Hac assentatiuncula illectus coruus ad canendum: apparanti uero è rostro excidit caseus: quo correpto, uulpecula cachinnum tollit. Tum demum miserum coruum pudet, pigetq; sui. Et iactura rei mixta pudore dolet.

Nonnulli sic auidi laudis sunt, ut cum suo probro et damno ament assentatorem. Eiusmodi homunciones prædæ sunt parasitis. Quòd si uitaueris iactãtiam, facile assentatorum pestiferum genus uitaueris. Si tu uoles esse Thraso, nusquã deerit Gnato.

De leone senectute confecto.

LEo qui in iuuentute complures sua ferocitate fecerat inimicos, in senectute exoluit pœnas. Reddunt talionem bestiæ. Dente aper, cornu petit taurus: in primis asellus uetus ignauiæ nomen cupiens abolere, uerbis & calcibus sine nue insultat. Tum gemebundus leo: Hij quibus olim nocui, iam uicissim nocent: & merito. Sed hi quibus aliquando prosui, iam uicissim non prosunt, imò etiam immerito obsunt. Stultus fui qui multos fecerim inimicos: stultior, quia falsis amicis confisus fuerim.

In secundis rebus non efferaris, non sis ferox. Nam si uultum mutarit fortuna, ulciscentur quos læsisti. Et inter amicos fac habeas discrimen. Sunt enim quidam amici, non tui, sed mensæ tuæ, sed fortunæ tuæ. Quæ quidem fortuna simul ac mutata erit, & illi mutabuntur. Et bene tecum actū erit, si non inimici fuerint. Merito queritur Ouidius:

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit uelis aura secunda meis.
Vt fera nymboso tumuerunt æquora uento,
In medijs lacera puppe relinquor aquis.

De cane & asino.

DVm blandiretur canis hero & familiæ, herus & familia canem demulcent. Asellus id uidens, alterius gemit: cœpit eum pigere suæ sortis: inique putat comparatum, canem gratum esse cunctis, pasci & de mensa herili, idq; ocio ludoq; consequi. Sese contra portare clitellas, cædi flagello, nunquam ociosum esse, & cunctis tamen odiosum. Si hæc fiant blanditijs, eam artem quæ tam utilis sit, statuit sectari. Igitur quodam tempore redeunti domum hero, rem tentaturus, procurrit obuiam, subsilit, pulsat ungulis: exclamante hero,

hero, accurrere serui: & ineptus asellus, qui se urbanum credidit, fuste uapulat.

Non omnia possumus omnes, ut ait Vergilius in Bucolicis. Nec omnes omnia decent. Id quisq; uelit, id tentet quod possit. Non simus, id quod Græce significantius dicitur, ὄνος λύρας, id est, asinus lyrarum uel lyræ. Sic autem Boetius: Asinus ad lyram positus. Repugnante natura, irritus est labor. Tu nihil inuita facies, dicesue Minerua, teste Horatio.

De leone & mure.

Leo æstu cursuq; defessus, sub umbra fronde super uiridi quiescebat. Murum autem grege tergum eius percurrente, experrectus, unum è multis comprehendit. Supplicat captiuus, indignum se esse cui leo irascatur clamitat. Reputans ille in nece tantillæ bestiolæ nihil esse laudis, captiuum dimittit. Nec uero ita multo post leo forte dum per saltum currit, incidit in plagas. Rugire licet, exire non licet. Rugientem miserabiliter leonem mus audit, uocem agnoscit, repit in cuniculos, laqueorũ quærit nodos: quæsitos inuenit, inuentos corrodit, leo è plagis euadit.

Hæc fabula suadet potentibus clementiam. Etenim ut sunt res humanæ instabiles, egent interdum ipsi potentes ope humilimorum. Quare uir prudẽs, etsi potest, timebit uel ulli hominum nocere. Qui autem non timet nocere alteri, ualde desipit. Quid ita? Quia etsi iam potentia fretus neminem metuis, forsitan olim erit ut metuas. Constat enim euenisse claris magnisq; regibus, ut uilium homuncionum uel gratia indiguerint, uel iram metuerint.

De miluo ægroto.

Lecto decumbebat miluus, iam fere moriens: matrem orat precatum ire deos. Mater respondet nil opis illi sperandum à dijs, quorum sacra & aras suis rapinis toties uiolasset.

Decet uenerari superos. Illi enim pios iuuãt, impios auersantur. In felicitate neglecti, in miseria nõ exaudient. Quare in secundis rebus sis eorum memor, ut in aduersis rebus præsentes sint uocati.

De hirundinibus.

Cum primum cœptum est seri linum, hirundo suadet auiculis impedire sementẽ, dictitans sibi fieri insidias. Irrident illæ, stultam uatem hirudinem uocant. Surgente iam lino & uirescente, rursus monet euellere sata. Iterum irrident. Maturescit linum, hortatur populari segetem. Cum ne tunc quidem consulentem audirent, hirundo auium cœtu relicto, hominis sibi conciliat amicitiam. Init cum eo fœdus, cohabitat, cantu demulcet. Cæteris auibus è lino fiunt retia & laquei.

Multi nec ipsi consulere sibi norunt, nec recte consulenti audiunt. Sed cum in periculis sunt & damnis, tum demum sapere incipiunt, & suam damnare socordiam. Tum sat super & consilij est: Hoc, inquiunt, & illud factum oportuit. Sed præstat esse Prometheum quàm Epimetheum. Fuere hi fratres, nomina sunt Græca. Alteri consilium ante rem fuit, alteri post rem. Quod declarat interpretatio nominum.

De ranis & earum rege.

Gens ranarum cum esset libera, Ioui supplicabat dari regem. Ridere Iupiter uota ranarum. Illæ tamen iterum atq; iterum instare, donec ipsum perpellerent. Dejecit ille trabem: ea moles ingenti fragore quassat fluuium. Ter-

rita

rita silent ranæ, regem uenerantur. Accedunt pedetentim propius. Tandem abiecto metu, insultant & desultant. Iners rex lusui est & contemptui. Lacessunt rursum Iouem, orant regem dari, qui strenuus sit. Dat Iupiter ciconiam. Is præstrenue perambulans paludem, quicquid ranarum obuiam fit, uorat. De huius igitur sæuitia ranæ frustra questæ sunt. Iupiter non audit: nam & hodie adhuc queruntur. Vesperi enim ciconia cubitum eunte, ex antris egressæ, rauco ululatu murmurant, sed surdo canunt. Vult enim Iupiter, ut quæ regem clementem sint deprecatæ, iam ferant inclementem.

Perinde atq; ranis, euenire solet plebi, quæ si regem paulo mansuetiorem habet, ignauũ, inertem esse causatur, optat aliquando contingere sibi uirum. Contrà, si quando nacta est regem strenuum, huius sæuitiam damnat, prioris laudat clementiam: siue quòd semper præsentium nos pœnitet, siue quòd uerum est uerbum, Noua ueteribus non esse potiora.

De columba & miluis.

Columbæ olim bellum gessere cum miluo, quem ut expugnarent, delegerunt regem accipitrem. Ille rex factus, hostem agit, non regem. Non segnius ac miluus, rapit ac laniat. Pœnitet columbas incœpti, satius fuisse putantes pati bella milui, quàm tyrannidem accipitris.

Neminem suæ sortis nimium pigeat. Nihil est (teste Flacco) ab omni parte beatum. Equidem meam sortem modo tolerabilis sit mutari non optem. Multi noua sorte quæsita, ueterem rursus optarant. Ita pleriq; ingenio sumus omnes, nosmet nostri pœnitet.

De fure & cane.

Furi aliquando panem cani, ut sileat, porrigenti, respon-

dit canis: Insidias tuas noui, panem das, quo desinam latrare. Sed ego tuum munus odi. Quippe si ego tulero panem, tu ex his tectis cuncta asportabis.

Caue parui commodi causa amittas magnum, caue cuiuis homini fidem habeas. Sunt enim qui dolo non tantum benigne dicunt, sed & benigne faciunt.

De lupo & fucula.

PArturiebat fucula, pollicetur lupus se custodem fore fœtus. Respondit puerpera, lupi obsequio se non egere. Si uelit pius haberi, si cupiat gratum facere, longius abeat. Lupi enim officium constare non præsentia sed absentia.

Non sunt cuncta credenda cunctis. Multi suam operam pollicentur, non tui amore, sed sui, suum quærentes commodum, non tuum.

De partu montium.

OLim rumor erat parturire montes: homines accurrunt, circumsistunt, monstri quippiam non sine pauore expectantes: pariunt tandem montes, exit mus. Tum omnes risu emori.

Hanc fabellam tangit Horatius:

Parturiunt montes, inquit, nascetur ridiculus mus.

Notat autem iactantiam. Iactabundi enim quum magna profitentur & ostentant, uix parua faciunt. Quapropter Thrasones illi iure sunt materia ioci & scommatum. Vetat item hæc fabella inanes timores. Plerũq; enim grauior periculo est periculi metus: imò ridiculum est quòd metuimus.

De cane uenatico.

CAnem uenaticum, qui iam senuerat, instigat herus: frustra hortatur, tardi sunt pedes, non properat. Prehenderat feram, fera edentulo elabitur. Increpat herus uerbere

&

& uerbo. Canis respondet, debere sibi iure ignosci, iam senuisse, at iuuenem fuisse strenuum. Sed ut uideo, inquit, nil placet sine fructu. Iuuenē amasti, senem odisti. Amasti prædabundum, odisti tardum, edentulum. Sed si gratus esses, quem olim iuuenem frugis causa dilexisti, senem fructuosæ iuuentutis gratia diligeres.

Recte canis: nam teste Nasone, Nihil nisi quod prodest charum est: en detrahe menti Spem fructus auidæ nemo pretendus erit. Præteriti commodi nulla est memoria, futuri autem gratia non magna, præsentis commodi summa. Turpe quidem dictu, sed si modo uera fatemur, Vulgus amicitias utilitate probat.

De leporibus & ranis.

SYlua insolito mugiente turbine, trepidi lepores rapide occipiunt fugere. Fugientes, cum obsisteret palus, stetere anxij, utrinq; comprehensi periculis. Quodq; maioris esset incitamētum timoris, uident in palude mergi ranas. Tum ex leporibus unus prudentior cæteris ac disertior: Quid, inquit, inaniter timemus? Animo opus est. Corporum quidem agilitas nobis est, sed animus deest. Hoc periculum turbinis non fugiendum, sed est contemnendum.

Omni in re opus est animo. Iacet uirtus sine confidentia. Confidentia enim dux & regina uirtutis est.

De hœdo & lupo.

CApra cum esset pastum itura, hœdum domi conclusit, monens aperiri nemini dū redeat ipsa. Lupus qui id iam procul audierat, post matris discessum pulsat fores, uoce caprizat, iubens recludi. Hœdus dolos præsentiens, nō aperio, inquit. Nam etsi uox caprizat, tamen equidem per rimulas lupum uideo.

Obedire parenti filios ipsis est utile, & iuuenem seni decet auscultare.

De ceruo & lupo.

CEruus coram lupo ouem ream facit: modium tritici debere clamitans. Ouis debiti quidem erat inscia, tamen ob lupi præsentiam spondet se daturam. Dicitur solutionis dies. Dies adest, monet ceruus ouē: Illa it inficias. Quod enim promiserit, excusat factum id metu & præsentia lupi. Votum extortum non esse seruandum.

Sententia iuris est: Vim ui repellere licet. Ex hac fabella noua quædam nascitur: Fraudem fraude repellere licet.

De rustico & angui.

RVsticus quidam nutrierat anguem. Iratus aliquando bestiam petit securi. Euadit illa non sine uulnere. Postea rusticus deueniens ad paupertatem, ratus est id infortunij propter anguis iniuriam sibi accidere, igitur supplicat angui ut redeat. Ille ait ignoscere se, sed redire nolle. Neque enim fore securum, cum rustico tanta sit domi securis: liuorē uulneris desijsse, supereesse tamen memoriam.

Ei qui semel fidem soluit, iterum habere fidem uix est tutum. Iniuriam quidem condonare, id sanè misericordiæ est: cauere autem sibi & decet, & prudentiæ est.

De uulpecula & ciconia.

VVlpecula uocârat ciconiam ad cœnam. Obsonium in mensam effundit, quod cum liquidum esset, ciconia frustra rostro tentante, uulpecula lingit. Abit elusa auis, pudet q; pigetq; iniuriæ. Post plusculum dierum redit, inuitat uulpeculam. Vitreum uas situm erat plenum belli obsonij. Quod quidem uas cum esset arcti gutturis, uulpeculæ obsonium

sonium licuit uidere & esurire, gustare non licuit. Ciconia ro stro facile exhausit.

Risus risum, iocus iocum, dolus dolum, fraus meretur fraudem.

De lupo & capite picto.

LVpus in officina sculptoris caput humanum repertum uersat, miratur, sentiens (id quod erat) nihil habere sen sus, O pulchrum, inquit, caput: est in te artis multum, sed sen sus nihil.

Externa pulchritudo si adsit, grata est: sin alterutra ca rendum est, præstat externa quàm interna careas. Illa enim sine hac interdum incurrit odium, ut stolidus eo sit odiosior, quo formosior.

De graculo.

GRaculus ornauit se plumis pauonis. Deinde pulchel lus sibi uisus, fastidito genere suo, contulit se ad pauo num genus. Illi tandem intellecta fraude stolidam auem coloribus nudârunt, & plagis affecerunt. Horatius hanc fa bellam primo epistolarum libro narrat de cornicula. Ait eam olim adornatam collectis, quæ auibus exciderant, plu mis: post ubi unaquæq; auium suam plumam decerpsit, ridi culam fuisse.

Ne si forte suas repetitum uenerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus.

Notat hæc figura eos, qui se gerunt æquo sublimius, qui cum his uiuunt, qui & ditiores sunt, & magis nobiles. Quare sæpe inopes fiunt, & sunt ludibrio. Probe Iuuenalis monet, E cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν: hoc est, Nosce te ipsum.

De muſca & formica.

MVſca altercabatur cum formica, ſe nobilem, illam ignobilem: ſe uolitare, illam repere: ſe uerſari in tectis regum, illam in cauernis latere, ſegetem rodere, aquam bibere, ſe ſplendide epulari iactitabat, & hæc tamen ocio nanciſci. E regione formica ſe non ignobilem eſſe, ſed ſuis natalibus contentam: muſcam uagam eſſe, ſe ſtabilem: ſapere formicæ grana et fluenta, quod muſcæ paſtili & uina. Atq; hæc ſe non ſegni ocio, at ſtrenua opera nanciſci. Porrò formicam lætam eſſe & tutã, charam omnibus, exemplar deniq; laboris. Muſcam anxiam cum periculo eſſe, cunctis infeſtam, cunctis inuiſam, exemplar deniq; ſegnitiei. Formicam hyemis memorem alimenta reponere, muſcam in diem uiuere, hyeme aut eſurituram, aut certe morituram.

Qui pergit quæ uult dicere, quæ non uult audiet. Muſca ſi bene dixiſſet, bene audiſſet. Aſſentior autem formicæ. Videtur enim optabilior uita obſcura cũ ſecuritate, quàm cum periculo ſplendida.

De rana & boue.

RAna cupida æquandi bouẽ, ſe diſtendebat. Filius hortabatur matrem cœpto deſiſtere. Nihil enim eſſe ranam ad bouem. Illa ſecundũ intumuit: clamitat natus, Crepes licet mater, bouem nũquam uinces. Tertium autem cum intumuiſſet, crepuit.

Cuiq; ſua dos eſt: Hic forma, ille uiribus: hic opibus, ille pollet animis. Vnumquenq; ſuo decet eſſe contentum. Valet ille corpore, tu ingenio. Quocirca quiſq; ſemet conſulat, nec inuideat ſuperiori, quod miſerum eſt: nec, quod ſtultitiæ eſt, certare optet.

De

De equo & leone.

VEnit ad equum comedendum leo. Carent autem præ senecta uiribus, meditari cœpit artem. Medicum se profitetur, uerborum ambage equum moratur. Hic dolo dolum, artem opponit arti. Fingit se nuper in loco spinoso pupugisse pedem, orat ut inspiciens sentem medicus educat: paret leo. At equus quanta potuit ui, calcem leoni impingit, & se continuo conijcit in pedes. Leo uix tandem ad se rediens (ictu enim propè exanimatus fuerat) precium, inquit, fero ob stultitiam, & is iure effugit. Dolum enim dolo ultus est.

Odio digna est simulatio, & simulatione capienda. Non est timendus hostis, qui hostem præ se fert: sed qui cum hostis sit, beneuolentiam simulat, is demum timendus & odio dignissimus.

De equo & asino.

EQuus phaleris sellaq; exornatus, cum ingenti hinnitu per uiam currebat. Currenti autem onustus asellus forte obstabat. Equus ita fremebundus & frena ferox spumantia mandens: Quid, inquit, tarde, ignaue, obsistis equo? Cede, inquam, aut proculco te pedibus. Asellus contrà rudere non ausus, cedit tacitus. Equo autem prouolanti, & cursum intendenti, crepat inguen. Tum cursui & ostentui inutilis, ornamentis spoliatur, dein carrario uenditur. Videt postea cum carro uenientem asellus, et affatur: Heus bone uir, quid isthuc ornati est? Vbi aurata sella? bullata cingula? ubi nitidum frenum? Sic amice necesse fuit euenire superbienti.

Plerique in secundis rebus elati sunt, nec sui memores, nec modesti. Sed quia prosperitate insolescunt, aduersitatem incurrunt. Eos qui felices uidentur, monuerim esse cautos.

Etenim si rota fortunæ circumacta fuerit, sentient miserrimum genus infortunij esse, fuisse felicem: accedet ad cumulum infelicitatis id quoq; mali, Contemnentur ab ijs, quos ipsi contempsere, & illudent ijs ij, quos ipsi risere.

De auibus & quadrupedibus.

AVibus pugna erat cum quadrupedibus. Vtrinq; spes, utrinq; metus, utrinq; erat periculum: uespertilio autem relictis socijs, defecit ad hostes. Vincunt aues, duce & auspice aquila. Transfugam uero uespertilionem damnant, ut ne ad aues unquam illi sit reditio, uti ne luce unquam sit uolatus. Hæc causa uespertilioni est, ut non nisi noctu uolet.

Qui cum socijs aduersitatis & periculi particeps esse renuit, prosperitatis & salutis expers erit.

De lupo & uulpe.

LVpus cum prædæ satis esset, in otio degebat. Accedit uulpecula, sciscitatur otij causam. Sensit lupus insidias fieri suis epulis, simulat morbum esse causam, orat uulpeculam deprecatum iri deos. Illa dolens dolum non succedere, adit pastorem, monet petere latebras lupi: hostem enim secum posse inopinato opprimi. Adoritur pastor lupũ, maclat. Illa potitur antro & præda. Sed fuit illi breue sceleris suũ gaudiũ. Nam non ita multo post idem pastor & ipsam capit.

Fœda res inuidia est, & ipsi interdum autori quoq; pernicioſa. Flaccus epistolarum libro primo:

Inuidus alterius rebus macescit opimis.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

De Ceruo.

CEruus in perspicuo fonte se conspicatus, probat procera frontis & ramosa cornua, sed tibiarum exilitatem

tem damnat. Forte dum contemplatur, dum iudicat, interuenit uenator. Fugit ceruus ocyor pilis, & agẽte nimbos ocyor euro. Insectantur fugientẽ canes. Sed cũ intrasset cõdensam syluã, implicita sunt ramis cornua. Tum demũ tibias laudabat, & cornua dãnabat, quæ fecere ut præda esset canibus.

Fugienda petimus, petenda fugimus. Placent quæ offiiciunt, quæ conferunt displicent. Beatitudinem cupimus priusquàm ubi sit, interrogemus. Opum excellentiam et honorum celsitudinem quærimus, in his beatitudinem sitam opinamur, in quibus tamẽ multũ laboris est & doloris. Pulchre id significat Lyricus ille noster: Sæpius uentis agitatur ingens Pinus, & celsæ grauiore casu Decidunt turres, feriuntq; summos Fulgura montes.

De uipera & lima.

IN fabrica offendens limam uipera, cœpit rodere. Subrisit lima. Quid, inquiens, inepta? Quid agis? Tu tibi antè contriueris dentes, quàm me atteras, quæ duritiam æris præmordere soleo.

Etiam atq; etiam uide quĩ cum tibi res sit. Si in fortiorem dentes acuis, non illi, sed tibi nocueris.

De lupis & agnis.

LVpis & agnis, quibus natura discordia est, fœdus aliquando fuit, datis utrinq; obsidibus: lupi suos catulos, oues canum cohortem dedere. Quietis ouibus ac pascẽtibus, lupi matrum desiderio ululatus edunt. Tum lupi irruentes, fidem fœdusq; solutum clamitant, ouesq; canum præsidio destitutas laniant.

Inscitia est, si in fœdere tua præsidia hosti tradas. Nam qui hostis fuit, hostis forsan nondum esse desyit. Fortasis & causam ceperit, cur te nudatum præsidijs adoriatur.

De sylua & rustico.

QVo tempore etiam arboribus suus sermo erat, uenit rusticus in syluam, rogans ut ad securim suam tollere liceat capulum. Annuit sylua. Rusticus aptata securi, cœpit arbores succidere. Tum & quidem serò, pœnituit syluam suæ facilitatis. Doluit se ipsam esse causam sui exitij.

De quo bene merearis uide. Multi fuere, qui accepto beneficio in autoris abusi sunt perniciem.

De membris & uentre.

PEs & manus uentrem olim incusarunt, quòd ab ocioso eo lucra ipsorum uorarentur. Iubent aut laboret, aut ali ne petat. Supplicat ille semel & iterum, negant tamẽ manus alimentum. Exhausto inedia uẽtre, ubi cœpere omnes artus deficere, tum manus uoluit tandem officiosa esse, uerum id serò. Nam uenter desuetudine debilis, cibum repulit: cuncti artus dum uentri inuident, cum uentre pereunte pereunt.

Perinde atq; in membrorum societate est, ita habet se societas humana. Membrũ eget membro, amicus eget amico. Quare mutuis officijs utendum est. Neq; diuitiæ atq; dignitatum apices hominem satis tuentur. Vnicum & summum præsidium, complurium amicitia est.

De simia & uulpecula.

SImia uulpeculam orat, ut partem caudæ sibi donet ad tegendas nates: illi enim esse oneri, quod sibi foret usui & honori. Respondet illa, nihil nimis esse, & se malle humum cauda sua uerri, quàm simiæ nates tegi.

Sunt qui egeant, sunt quibus superet. Nulli tamen diuitum id moris est, ut re superflua beet egenos.

De ceruo & bobus.

Ceruus

Ceruus uenatorem fugiens, coniecit se in stabulum: boues orat, ut in præsepi latitare liceat. Boues tutum esse negant. Mox enim & dominum & famulum affuturos. Ille securum se esse ait, modo ne ipsi prodant. Intrat famulus, occultum fœno non uidet, exit. Gestire ceruus & nihil iam timere. Tum unus è bobus, & æuo & consilio grauis, Facile, inquit, erat hunc, qui talpa est, fallere: sed ut herum qui Argus est, lateas, hoc opus, hic labor est. Mox deinde introgredi tur herus, qui ut serui negligẽtiam corrigat, cuncta lustrans oculis, & præsepe manu tentans, cerui deprehendit sub fœno cornua. Inclamat famulos, accurrũt, ferã occludunt, capiũt.

In aduersis rebus & periculis latebræ difficiles sunt inuentu, aut quia miseros, ut cœpit, fortuna exagitat: aut quia ipsi metu impediti & inopes consilij, semet imprudentia produnt.

De leone & uulpecula.

Leo ægrotabat, uisebant animalia: una officium differente uulpecula. Ad hanc legatum mittit leo cum epistola, quæ uenire admoneat. Gratissimam rem ægroto fore eius unius præsentiam. Nec quicquam periculi fore cur uulpecula metuat. Leonem enim primum quidem amicissimum esse uulpeculæ, ideoq; percupere eius colloquium. Deinde ægrotum esse et decumbere, ut etiamsi id quod non erat, uelit, nocere tamen nõ queat. Rescribit uulpecula, optare se ut leo conualescat, idq; oraturam superos. Cæterum minime uisuram, terreri enim se uestigijs. Quæ quidem uestigia cum omnia sint antro leonis aduersa, & nulla auersa, eam rem indicium esse, multum quidem animalium introisse, sed exisse nullum. Horatius:

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni

Respondit, referam: quia me uestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Caue fidem habeas uerbis, ni caueris, sæpe tibi dabuntur uerba. Capienda est cõiectura cum ex uerbis, tum ex factis, & ex his illa sunt iudicanda.

De uulpecula & mustela.

VVlpecula lõga inedia tenuis, forte per angustiorẽ rimã in camerã frumenti repsit. In qua cũ probe pasta fuit, dein rursus tentantem egredi, distẽtus impediit uenter. Mustela luctantẽ procul contẽplata tandem monet, si exire cupiat, ad cauũ macra redeat, quò macra intrârat.

Videas complureis in mediocritate lætos esse, atq; alacres, uacuos curis, expertes animi molestias. Sin hi diuites facti fuerint, uidebis eos mœstos incedere, nunquam frontem porrigere, plenos curis, animi molestijs obrutos. Hanc fabellam sic Horatius canit:

Forte per angustam tenuis uulpecula rimam
Repserat in cameram frumenti, pastaq; rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul, si uis, ait, effugere isthinc,
Macra cauum repetas arctum, quem macra subisti.

De equo & ceruo.

EQuus gerebat bellum cum ceruo. Pulsus tandem è pascuis, implorabat opem humanam. Redit cum homine, descendit in campum: uictus antea, iam fit uictor. Sed tamen hoste uicto, et sub iugum misso, ipse uictor necesse est seruiat homini. Equitem fert dorso, & frenum ore.

Dimicant multi contra paupertatem. Qua per fortunam & industriam uicta, sæpe uictoris interit libertas. Domini quidem & uictores paupertatis, seruire incipiunt diuitijs,

aguntur

aguntur auaritiæ flagris, parsimoniæ cohibentur frenis, nec querendi tenent modum, nec iusto quidem auaritiæ supplicio partis rebus audent uti. Horatius de hac fabella:

Ceruus equum pugna melior, communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis, frenumq; recepit.
Sed postquam uiolens uictor discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum repulit ore.
Sic qui pauperiem ueritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum uehit improbus, atq;
Seruiat æternum, qui paruo nescit uti.

AESOPI FABVLAE HADRIANO Barlando interprete.

De duobus adolescentibus.

ADOLESCENTES *duo obsonium apud cocum sese empturos simulant. Coco alias res agente, carnem alter è canistro surripit, dat socio ut sibi ueste oculat. Cocus surreptam sibi carnis partem ut uidit, furti utrunq; cœpit insimulare. Qui abstulerat, per Iouem nihil habere: is uero qui habuit, nil abstuliſſe identidem deierat. Ad quos, Me quidem, inquit cocus, fur nunc latet, sed is inspexit, is scit, quem iurastis.*

Si quid peccauimus, id statim nõ sciunt homines: at deus omnia uidet, qui sedet sup cœlos, & intuetur abyssos. Quod si cogitent homines, suppressius prudentiusq; peccabitur.

De cane & lanio.

CAnis in macello cum lanio carnem abstulisset, in pedes sese continuo quantum potuit coniecit. Lanius iactura rei perculsus, primũ tacuit, deinde animum recipiens, sic procul acclamitauit: O furacissime, curre tutus, impune tibi licet, tutus enim es nunc ob celeritatem, posthac autem cautius mihi obseruaberis.

Hæc fabula significat plerosq; omnes tum demum fieri cautiores, ubi damnum acceperint.

De cane & oue.

CAnis ouem in ius uocat, panem ex mutuo debere clamitans: illa it inficias. Miluus, lupus, uultur, accersuntur, rem affirmant: damnatur ouis, damnatam canis rapit, ac deglubit.

Falsis testimonijs opprimi quàm plurimos, cum nemo nescit, tum hæc quàm optime docet fabellula.

De agno & lupo.

AGno comitanti caprum, lupus fit obuiam: rogitat cur relicta matre olidum potius sequatur hircũ: suadetq; ut ad distenta lacte matris hubera redeat, sperans ita fore, abductum ut laniet: ille uero, Mater me ô lupe, inquit, huic commisit, huic summa cura seruãdi data est. Parenti potius quàm tibi obsequendum, qui me seducere istis dictis postulas, seductum mox percerpere.

Noli omnibus fidem habere: multi enim dum alijs uidentur uelle prodesse, sibi interim consulunt.

De adolescente & cato.

CVm adolescens quidam in delicijs amoribusq; usurpasset catum, Venerem precibus fatigauit ut catum in fœminam transfiguraret. Commiserescit & audit orantem

tem Venus: fit metamorphosis, quæ adolescēti misere amanti perplacuit: nempe tota succi plenula, tota candidula, tota elegantula. Itur deinde in cubiculum, ridetur, luditur. Nec uero ita multo post, percupiens experiri dea, nunquid catus cum corpore mutasset & mores, per impluuium immittit musculum: ibi risu prorsus atq; ludo res digna accidit. Conspectam ilico bestiolam insequitur muliercula. Venus indignatur fœminæ, uultus iterum in catum mutatur. Cum pedibusq; manus, cum paruis brachia mutat Cruribus, & caudā est mutatis addita membris.

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currūt. Nimisq; difficile est assueta relinquere. Naturā expellas furca, tamen usq; recurrit, inquit Horatius.

De patre & filijs.

COmplures habebat agricola filios adolescentulos inter se discordes, quos pater elaborans trahere ad mutuum amorem, appositō fasciculo iubet singulos breui circundatum funiculo effringere: imbecilla nequicquam conatur ætatula. Soluit parens, redditq; singulis uirgulam, quam cum pro suis quisq; uiriculis facile frangeret, O, inquit, filioli, sic concordes uos uincere poterit nemo: Sed si mutuis uolueritis sæuire uulneribus, atque intestinum agitare bellum, eritis tandem prædæ hostibus.

Docet hic apologus concordia res paruas crescere, discordia magnas dilabi.

De rustico & equo.

RVsticus equum uacuum, asinumq; sarcinulis egregie onustum producit ad uiam. Defessus asellus, equū sibi onera ut adiuuet orat, si saluū uelit. Negat facturū equus: asellus tandem sarcinæ pondere grauatus, procumbit, mo-

ritur. Herus omne onus, mortui quoq; aſelli corium in equi dorſum reclinat: quibus cum ille deprimeretur, Me miſerũ, inquit, merito meo ſic nunc exerceor, qui dudum laboranti aſino opitulari nolui.

Monemur hac fabula, ut oppreſsis ſubueniamus amicis. Ortus noſtri, inquit Plato, partem ſibi patria uendicat, partem amici.

De carbonario & fullone.

FVllonem inuitabat carbonarius, ut ſecum in unis ædibus habitaret. Fullo, non eſt, inquit, mi homo iſthuc mihi uel cordi uel utile. Vereor enim magnopere, ne quæ ego eluam, tu reddas tam atra quàm carbo eſt.

Monemur hoc apologo cum inculpatis ambulare, monemur ſceleratorum hominum conſortia ueluti peſtem quandam deuitare. Trahunt, inquit Campanus, hominem ſodalitia, commertia etiam in mores penetrant, & perinde quiſq; euadit, ut quibus cum uerſatur.

De aucupe & palumbo.

IT uenatum auceps, uidet nidulantem procul in altiſsima arbore palumbum: approperat: deniq; inſidias molitur, premit forte calcibus anguem. Hic mordere, ille improuiſo exanimatus malo, Me miſerum, inquit, dum alteri inſidior, ipſe diſpereo.

Significat hæc fabula nonnunquam eos ſuis artibus circumueniri, qui res nouas moliuntur.

De buccinatore.

BVccinator quidam ab hoſtibus capitur, abducitur: trepidare ille, ſupplicare ut parcant innoxio ſe, quando nihil unquam armorum præter unam buccinam geſtauerit, hominem non potuiſſe quidem occidere, nedum uoluiſſe. Illi

contra

contra murmure tum sæuo, tum uerberibus intonant: Nihil ais scelus: maxime noces: atq; nũc hic trucidabere, quod cum ipse, ut fateris, rei militaris sis imperitus, cornu istio tuo aliorum excitas, cuibrasq; animos.

Grauissime peccãt nõnulli, qui ad mala, quibus satis pronis principibus ut inique agant consulunt, atq; huiusmodi quædam ad illorum aures occinunt: Quid etiam dubitas? an te principem esse oblitus es? an non tibi quod libeat licet? tu legibus maior, in te legi rupæ nomen haud cadere potest, qui ipsis etiam dominaris legibus: tui nihil possident, quod tuum non sit: tuum potes & seruare & perdere: tibi fas est opibus dignitateq; agere, quæ uisum sit. Fas est ubi libuerit, adimere: alios alia uel damnant, uel commendant: tibi nihil non honestissimum futurum.

De lupo & cane.

LVpus cani ante lucem in sylua forte fortuna sit obuiam: salutat, aduentum gratulatur: deniq; rogat quo pacto tam sit nitidus. Cui ille, herilis cura hoc efficit: herus me blandientem sibi demulcet, de mensa pascor herili nitidissima, nunquam sub dio dormito, tum uniuersæ familiæ non dici potest quàm sim gratus. Næ tu, inquit lupus, multo es felicissimus ô canis, cui tam benignus & comis contigit herus, cum quo ô utinam commorari et mihi liceat: nullum me animantium esset uspiam fortunatius. Canis notũ statu cupidissimum uidens lupum, effecturum se pollicetur, ut hæreat in parte aliqua apud herum, modo de prisĩna ferocia aliquid remittere, & seruitutem seruire uelit. Stat sententia. Lupo libitum est deambulare ad uillam, sermones edunt in itinere prorsus iucundissimos. Postea uero quàm illuxit, contritum canis collum uidens lupus, Quid sibi uult, inquit, ô

canis, tua isthæc prorsus depilata ceruix? Solebam, inquit ille, feroculus notis pariter & ignotis allatrare, obmordereq; nonnunquam: id ægre ferens herus, crebris me tundebat uerberibus, prohibens etiam ne quem præter furem lupumq; adorirer. Ego sic uapulando uictus sum, & mitior factus: hocq; genialis sæuitiæ seruauì signum. Lupus hoc audito, Ego inquit, heri tui amicitiam tanti non emo. Vale igitur ô canis, cum ista tua seruitute: mihi mea potior est libertas.

Optabilius est, in humili casa dominum esse, & panem atrum uorare, quàm in amplissima regia opiparis mensis frui, & obnoxium trepidumq; agere. Nam libertas sublimi exulat aula, ubi accipienda uenit, & musitanda iniuria est.

De agricola & canibus.

AGricola cum ruri plusculos hyemasset dies, cœpit tandem necessariarum rerum penuria laborare: interficit oues, mox & capellas, postremo boues quoq; mactat, ut habeat quo inedia penè exhaustum corpusculum sustentet. Id uidentes canes, salutem fuga quærere constituunt: sese enim non uicturos diutius, quando ne bobus quidem, quorum in opere rustico faciundo utebatur opera, pepercit herus.

In quam domum mercedis gratia te tradas, uide. Nonnulli inhumanissimi sunt heri. Multi enim hodie eò dementiæ prolabuntur, ut uel seruos infortunio malo & damno libenter mactent.

De uulpe & leone.

VVlpecula quæ leonis immanitatem insuetam horrebat, semel atq; iterum id forte animalis contemplata, trepidare & fugitare. Cum iam tertio obtulisset sese obuiam leo, tantum abfuit ut metueret quicquã uulpes, ut confidenter illum adiuerit, salutauerit q;.

Omnes

Omnes nos cõsuetudo audaciores facit, uel apud eos quos antea aspicere uix ausi fuimus.

De uulpe & aquila.

VVlpeculae proles foras excurrerant: ab aquila comprehensae, matris fidem implorant. Accurrit illa, ut captiuam prolem dimittat, aquilam rogat. Aliqua nactus prædam, ad pullos subuolat. Vulpes correpta face, quasi illius munitiones incendio absumptura esset, insequitur. Cum iam arborem conscendisset, & ipsa nunc te, inquit, tuosq; si potes tuere. Trepidans aquila incendium, dum metuit, Parce, inquit, mihi, paruisq; liberis: tuum quicquid habeo, reddidero.

Per aquilam, potentis atq; audacis animi homines intelligere: per uulpem, pauperculos, quos calumnijs premere consuemelijsq; afficere, diuitibus æque studium est. Verum quando est sua & formicis ira, impotentes ij acceptam interdum probe ulciscuntur iniuriam.

De agricola & gruibus.

GRuibus anseribusq; fata depascentibus, laqueum prætendit rusticus: capiuntur grues, capiuntur anseres, capitur & ciconia. Supplicat illa, innocentem sese clamitans, & nec gruem, nec anserem esse, sed auium omnium optimã: quippe quæ parenti sedulo semper inseruire, eundemq; senio confectum alere consueuerit. Agricola, horum, inquit, nihil me fugit: uerum cum nocentibus postquam te cepimus, cum his quoq; morieris.

Qui flagitium committit, & is qui impuris se adiungit socium, pari pœna plectuntur.

De gallo & cato.

VEnit ad gallum comedendum catus, non satis autem habens ad nocendum causæ, gallum criminari occipit, obstrepere am esse auem dictitans, utpote quæ uoce tam acuta noctu dormientes homines expergefaciat. Ille se innocentem ait cum sic excitet in operá mortales. Catus contra intonat: Nihil ais sceleste, cum matre rem habes, nec sorore abstines. Id gallus quoq; expurgare cum niteretur, nec hoc, inquit perseuerantius sæuiens catus, quicquam facit: tu mihi hodie discerperis.

Vetus dictum esse ait Guilielmus Goudanus, ut canem cædas, facile inueniri baculum. Malus, si libitum fuerit, quo iure, quaq; iniuria te præcipitem dabit.

De opilione & agricolis.

PVer editiore pratulo oues pascebat, atq; per iocũ terq; quaterq; lupum adesse clamitans, agricolas undiq; excicbat: illi sæpius elusi, serio auxilium imploranti, dum non subueniunt, fiunt oues præda lupo.

Si mentiri insuerit quispiam, huic, si quando uerum narrare occeperit, haud facile habebitur fides. Superiori apologo finitimus est ille apud Horatium, de Plano scurra iocus:

Nec semel irrisus triuijs attollere crura.
Fracto crure Planum, licet illi plurima manet
Lachryma, per sanctum iuratus dicat Osirim,
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, uicinia rauca reclamat.

De aquila & coruo.

RVpe editissima in agni tergum deuolat aquila. Videns id coruus, imitari (uelut simius) gestat aquilam, in arietis uellus se demittit, demissus impeditur, impeditus cõprehenditur, comprehensus proijcitur pueris.

Non

Non aliorum, sed sua se quisq; uirtute æstimet. Tuo te pe de metire, inquit Horatius. Id uelis, id tentes quod possis.

De cane inuido & boue.

PRæsepio fœni pleno decumbebat canis: uenit bos ut co medat. Ille sese surrigens, prohibere. Bos, dij te cum tua isthac inuidentia perdant, inquit, qui nec fœno uescris, nec eo uesci sinis.

Eo sunt ingenio pleriq;, ut alijs inuideant, quod ipsi men tis inopia assequi nequeunt.

De cornice & oue.

STrepitat in ouiculæ dorso cornicula. Ouis, cani, inquit, si sic obstreperes, ferres infortunium. At cornix scio qui bus insultem, placidis molesta, sæuis amica.

Impotenti & syncero perpetua est cum malis parata cer tatio: illiditur solo innocentissimus quisq;, nocentis uero præ ferocis hominis aures adstrepit nemo.

De pauone & luscinia.

PAuo apud summi Iouis sororem & coniugem Iuno nem queritur luscinium suaue cantillare, se ob raucam rauim ab omnibus irrideri: cui Iuno, Dos sua à dijs cuiq; lu scinia cantu, tu plumis longe superas. Vnumquenq; sua sor te decet esse contentum.

Quæ diui largiuntur, grato sumamus animo, neq; maio ra quæsierimus. Superi temere agunt nihil.

De mustela seniculo & muribus.

MVstela præ senio uiribus carens mures iam ita ut so let insequi non ualebat, meditari cœpit dolum, in fari nulæ se colliculum illatebrat, sic sperans fore ut citra labo rem uenetur. Accurrunt mures, & farinam esitare dum cupiunt, ad unum omnes à mustela uorantur.

Vbi uiribus quispiam destitutus fuerit, ingenio opus est. Lysander Lacedæmonius subinde dicere solebat, quò non peruenire leonina pellis, uulpinam assuendam esse. Quod sic lucidius dixeris: Vbi uirtus non satis potest, adhibenda est astutia.

Apologus ex Mantuano traductus.

Rvsticus quidam ex malo quam in proximo habebat agello, sapidissima quotannis legebat poma, hero lecta donabat urbano, qui illectus incredibili pomorũ dulcedine, malum tandem ad se transtulit: ea uehementissima repente exaruit, atq; ibi poma pariter & malus periere. Quod cum patrifamiliâs nunciaretur, heu difficile est, inquit, annosam transplantare arborem: satis superq; fuerat, si frenos meæ no uissem imponere cupiditati, fructus ramo decerpere. Hanc fabellam sic Mantuanus:

Rusticus ex malo dulcissima poma legebat,
Vnde dare urbano dona solebat hero.
Ast herus illectus frugum dulcedine, malum
Transtulit in laribus proxima rura suis.
At quia malus erat senior, translata repente
Aruit & proles cum genitrice obijt.
Heu male transfertur senior cum induruit arbor,
Inquit herus, fuerat carpere poma satis.
Qui nimium sapiunt, atq; inconcessa sequuntur,
Desipiunt: cohibet qui sua uota sapit.

FABVLAE

FABVLAE M. PETRO SCOto uiro ornatissimo, eidemq; humanissimo scriptæ à Barlando.

De leone & rana.

VDIRE uocem uisus leo, prosilit: subsistit, non sine trepidatione magni quippiam expectans: egreditur tandem aquis ranula. Leo depositio metu appropians, bestiolam proculcat pedibus.

Vetat hic apologus inanes timores, ut illa à Guilielmo Goudano uersa fabula de partu montium.

De formica.

SItiens uenit ad fontem ut biberet formica, incidit forte in puteum, opitulatur eminus ex arbore deiecto ramo columba. Ramum conscendens formica, seruatur: adest columbam ut capiat auceps, non sinit formica, aucupis pedem arripit mordicus: auolat columba.

Docet hæc fabula præclare meritis referendũ esse gratiã.

De auibus.

GEns auium cum libere uagaretur, optabat sibi dari regem. Pauo se in primis dignum qui eligeretur putabat, quia esset formosissimus. Hoc in regẽ accepto, pica ô rex inquit, si te imperãte aquila nos præstrenue (ut solet) insequi cœperit, quo illam modo abiges? quo nos pacto seruabis?

In principe non tam forma, quàm corporis fortitudo spectanda est & prudentia.

De ægroto & medico.

MEDIcus curabat ægrotum: ille tandem moritur:

tum ad cognatos medicus: Hic, inquit, intemperantia periit.

Bibacitatem & libidinem, nisi quis mature reliquerit, aut nunquam perueniet ad senectutem, aut perbreuem est habiturus senectutem.

De leone & alijs.

LEo, asinus, uulpes, eunt uenatum: capitur ampla uenatio: capta partiri iussa. Asino singulas singulis partes ponente, irrugit leo, asinum rapit ac laniat. Postea uulpeculæ id dat negocij, quæ astutior, cum leoni longe optima posita parte, sibi uix minimam particulam reseruasset, rogat leo, à quo sic docta sit: cui illa, Huius me, inquit, calamitas docuit, mortuum asinum ostendens.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

De hœdo & lupo.

E Fenestra prospectans hœdus, prætereuntem lupum conuitijs incessere audebat. Cui lupus, non tu, ait, scelestè mihi conuitiaris, sed locus.

Et tempus & locus sæpe audaciam addunt homini.

De asino.

ASinus de hortulani sæuitia querens, Ioui supplicat alium dari herum. Exaudire Iupiter uota asini, dat tegularium. Apud quem cum tegulas grauioráq; tergo ueheret onera, accessit rursus Iouem, orat dari qui mitior sit. Ridere Iupiter: ille tamè non desistit instare, orare usq; adeo, donec perpelleret. Dat ille coriarium, quem ubi pernouit asellus, me miserum, inquit, qui dum nullo sum contentus domino, in eum inciderim, qui nec corio quidem meo quantum auguror, parcet.

Semper damnamus quæ præsentia sunt, & noua appetimus, quæ (ut dici solet) ueteribus non sunt potiora.

De

De anu & ancillis.

Anus quædam domi habebat ancillas complures, quas quotidie antequam lucesceret, ad galli gallinacei quem domi alebat, cantum excitabat ad opus. Ancillæ quotidiani tandem negotij commotæ tædio, gallum obtruncant, sperantes iã necato illo in medios sese dies dormituras. Sed hæc spes miseras frustrata est: hera enim, ut interremptum gallum resciuit, intẽpesta deinceps nocte surgere iubet.

Non pauci grauius malum dum student euitare, in alterum diuersum incidunt. Peruulgatum est:

Incidit in Scyllam, qui uult uitare Charibdim.

De asino & equo.

Asinus beatum putat equum, quòd pinguis esse, & in ocio degeret: se uero infelicem dicebat, quòd macilentus esset ac strigosus, quotidieq; ferendis oneribus ab immiti hero exerceretur. Haud multo post ad arma conclamatum est: tum equus non frenum repulit ore, nec telum corpore. Hoc uiso, asinus magnas diis gratias agebat, quòd nõ equum se, sed asinum fecissent.

Miseri sunt, quos uulgus beatos iudicat, & non pauci beati, qui se miserrimos putant. Sutor crepidarius regem dicit felicem, quem omnium rerum compotem uidet, non considerans in quantas rex solicitudines distrahatur, dum interim ipse optima cum paupertate cantillet.

De leone & capra.

Edita rupe ambulantem capram forte conspicatus leo, monet ut potius in uiride pratum descendat. Capra facerem fortasis, inquit, si tu abesses, qui mihi non isthuc suades, ut ego inde ullam capiam uoluptatem, sed ut tu habeas quod uores famelicus.

Omnibus ne habeas fidem: quidam enim non tibi, sed sibi consulunt.

De uulture alijsq; auibus.

ANnuum se natalem celebrare adsimilat uultur, auicu las ad cœnam inuitat: ueniunt pleræq; omnes: ue- nientes magno plausu fauoribusq; accipit, acceptas laniat uultur.

Non sunt amici omnes, qui blande dicunt, aut benigne se facere uelle simulant: latent sub hoc melle uenena.

De anseribus.

ANseres unà cum gruibus agrum uastabant, quibus au ditis, rustici protinus in illos feruntur. Rusticos con- spicatæ grues, auolant: capiuntur anseres, qui impediti corpo ris onere, subuolare non poterant.

Expugnata ab hostibus urbe, facile se subducit inops, at diues seruatur captus. In bello diuitiæ magis sunt oneri quàm usui.

De Ioue & simia.

IVpiter scire percupiens quisnam mortalium scitissimos ederet liberos, conuocari iubet, quicquid uspiam est ani- mantium. Cõcurritur ad Iouem undiq;, aderat iam alituum pecudumq; genus: inter quos & simia deformes catulos bra chio gestans cum aduenisset, à risu temperare nemo potuit: quin etiam Iupiter ipse profuse admodum risit. Ibi continuo simia, Imò, inquit, nouit & Iupiter iudex noster, catulos meos magnopere omnes quotquot sunt, præcellere.

Suum cuiq; pulchrum, ut est adagium. Et alibi apud Theocritum in Aeglogis:

Quæ minime sunt pulchra, ea pulchra uidentur amanti.

ANIANI

ANIANI FABVLAE HAdriano Barlando interprete.

De quercu & arundine.

HASTVS olim atq; adeo insolentiæ plena quercus, arundinem aggressa est, si nunc inquiens, pectus animosum tibi, procede agedum ad pugnam, ut noster duarum euentus ostendat, utra uiribus præstet. Arundo quercus cantum, exultationem, fortitudinisq; agitationem uanam nihil mirata, sic respondit, Certamen nunc abnuo, nec meæ sortis piget. Nam in ommem partem mobilis, tempestates tamen peruinco sonoras, tu, si semel uasto rex Aeolus antro luctantes emiserit uentos, concides, & mihi tum rideberis.

Declarat hæc fabella non eos semper fortissimos esse, qui nulla etiam lacessiti iniuria, alijs insultant.

De piscatore & piscículo.

PIscator iacto in aquam hamo cibis illito, piscículum eduxit: orat, obsecratq; captiuus, se minutulum uti abire sinat & adolescere, ut postea maiore potiatur. Piscator, Ego, inquit, spe precio non emo, quippe qui eo fuerim ingenio semper, ut quicqd possem, mallẽ auferre potius in præsentia.

Hæc nos monet fabella, ne certa unquam incertiorum spe unguibus amittamus. Quid enim stultius (ut est apud Ciceronem) quàm incerta pro certis habere?

De formica & cicada.

APpetente hyeme frumentum in areolam ad solem trahebat formica. Videt id cicada: accurrit, rogitat granum. Formica, cur non, inquit, & tu meo exemplo æstate

trahis quodcunq; potes, atq; addis aceruo? Respondet illa, si bi id temporis cantando transigi. Ridēs formica, Si ait, æstia te cantare soles, merito nunc esuris.

Monemur hac fabula, dum adhuc robur corporis adest, quærere ea, quibus imbecilla sustentetur senectus. Per hyemem, senectutem intellige: per æstatem, adolescentiam & florem illum ætatis.

De leone & tauro.

LEonem fugitabat taurus, in hircum incidit: is cornu & caperata minitabatur fronte. Ad quem plenus iræ taurus, Non tua, inquit, in rugas contracta frons me territat, sed immanem metuo leonem, qui nisi tergo hæreret meo, iam scires non ita paruam rem esse, pugnare cum tauro, & nostro sequi de uulnere sanguinem.

Calamitosis non est addenda calamitas, sat miser est qui semel est miser.

FABVLAE ANIANI, GVILIELmo Hermanno, Ordinis Diui Augustini canonico, interprete.

De nutrice & lupo.

NVTRIX minatur puerum plorantem (ni taceat) dari lupo. Lupus id forte audit. Spe cibi manet ad fores. Puer tandem silescit obrepente somno. Regreditur lupus in syluam ieiunus & inanis. Lupa ubi sit præda sciscitatur. Gemebundus ille, Verba, inquit, mihi data sunt. Puerum plorantem se abijcere minabatur nutrix, at fefellit.

Fœminæ non est adhibenda fides.

De

De testudine & aquila.

CEperat testudinem tædium reptandi. Si quis eam in cœlum tolleret, pollicetur baccas maris rubri. Sustollit eam aquila, poscit præmium. Non habentem fodit unguibus. Ita testudo quæ concupijt uidere astra, in astris uitam reliquit.

Tua sorte sis contentus. Fuere nonnulli, qui si mansissent humiles, poterant esse tuti: facti sublimes, inciderunt in pericula.

De cancris matre & filia.

CAncrum retrogradum monet mater, antrorsum ut eat. Filius respondet: Mater, inquit, i præ, sequar. Nullum reprehēderis uitij, cuius ipse queas reprehendi.

De sole & aquilone.

SOl & uentus aquilo certabant uter sit fortior. Conuenitum est experiri uires in uiatorem, ut palmam ferat, qui excusserit manticam: boreas horrisono nimbo uiatorem aggreditur, ac ille non desistit, amictum gradiendo duplicans. Adsunt uices solis. Qui nimbo paulatim euicto, emolitur radios. Incipit uiator æstuare, sudare, anhelare. Tandem progredi nequiens, captat frigus opacum atq; sub frondoso nemore abiecta mantica, resedit. Ita soli contigit uictoria.

Qui cum certes etiam atq; etiam uide. Nam etsi tu fortis es, est forsitan alius te fortior. Aut si non fortior, certe callidior, ut consilio suo tuum uincat robur.

De asino.

ASinus uenit in syluam, offendit exuuias leonis: quibus indutus, redit in pascua: greges armentaq; territat & fugat. Venit qui perdiderat, quæritat suum asinum. Asinus uiso hero occurrit, imò cum rugitu suo incurrit. At he-

rus prehensis, quæ extabant, auriculis, alios licet, inquit, fallas, ego te aselle mi probe noui.

Quod non es, ne te esse simules. Non doctum, cum sis indoctus: non diuitem, non nobilem, cum sis pauper & ignobilis, te iactes. Vero enim comperto rideberis.

De rana & uulpe.

Rana egressa paludem in syluis apud feras medicinam profitetur: ait se nec Hippocrati, nec Galeno cedere. Cæteris habentibus fidem, illusit uulpes: an hæc, inquit, medicinæ habebitur perita, cui sic pallet os? quin curet seipsam? Sic elusit uulpes. Est enim ranæ os cæruleo colore.

Stultitiæ est profiteri quod nescias, & ridiculum.

De cane mordace.

Canis subinde homines mordenti, ut sibi quisq; caueret, alligârat dominus nolam. Canis ratus uirtuti suæ tributum decus, suos populares despicit. Accedit ad hunc canum aliquis iam ætate atq; autoritate grauis, monens eum ne erret. Nam ista, inquit, nola data est tibi in dedecus, non in decus.

Glorioſus interdũ ſibi ducit laudi quod ipſi eſt uituperio.

De camelo.

Camelus sui pœnitens, querebatur tauros insignes ire geminis cornibus, se inermem obiectum cæteris animalibus. Orat Iouem donari sibi cornua. Ridet Iupiter stultitiam cameli, nec modo uotum negat, uerum & auriculas bestiæ decurtat.

Sit quisq; fortuna contentus sua. Etenim multi fortunam secuti meliorem, incurrere peiorem.

De duobus amicis & urso.

Duo

DVo amici faciũt iter: occurrit in itinere ursus. Vnus arbore conscensa, pericula euitat. Alter, cum spes fugæ non esset, collidit se humi. Accedit belua, contrectat iacentem, os explorat & aures. Homine spiritum continente ac motum, ursus qui mortuis parcit, ratus cadauer esse, innocuus discedit. Percontanti postea socio, quidnam bestia dixisset iacenti in aurem, Hoc monuisse ait, ne unquam cum illiusmodi amicis iter faceret.

Rara auis in terris, nigroq; simillima cygno, fides est. Verum amicum res aduersæ & pericula monstrant.

De equite caluo.

EQues caluus illigârat pileo comam fictitiam. Venit in campum acri spirante borea, ac dum male obseruat capillatum galerum, subito apparet caluities. Tollit cachinnum corona, nec non & ipse ridet. Quid noui est, inquit, auolare capillos alienos, cum olim defluxerint qui fuerant mei?

Belle fecit eques, qui non est indignatus, sed cum ridentibus risit. Socrates uero cum accepisset in foro alapam, hoc modo respondit: Molestum esse nescire homines quando debeant prodire cum galea.

De duabus ollis.

DVæ ollæ stetere in ripa, altera erat lutea, altera ærea: utranq; tulit uis fluuij. Luteæ collisionem metuenti respondit ærea, ne quid timeat: sese enim ne collidantur, satis curaturam. Tum altera: seu me, inquit, tecum, seu te mecum flumen collisserit, cum meo utrunq; fiet periculo: quare certum est à te separari.

Satius est uiuere cum socio pari, quàm cum potentiori. A potentiori enim potest esse periculum tibi, non illi à te.

De rustico & fortuna.

RVsticus cum araret, offendebat in sulcis thesaurum. Gratias agit telluri, quæ hunc dedisset. Fortuna uidens nihil honoris haberi sibi, ita est secum locuta: Thesauro reperto, stolidus mihi non est gratus: at eo ipso thesauro postea amisso, me primam omnium uotis & clamore solicitabit.

Beneficio accepto, grati simus bene de nobis merenti. Ingratitudo enim digna est, etiam beneficio quod iam acceperit priuari.

De tauro & capro.

FVgit leonem taurus, uenit ad speluncam quærens latibulum. Intrãti occurrat cornibus, qui intus erat caper. Tum ijs uerbis bos emugijt: Tu quidem cornibus tuis meam excipis fugam. Verum si abierit quem fugio, quantum à uiribus tauri distet caper, tum senties.

Quis nescit miseris esse succurrendum, aut certe non nocendum? quisquis enim miserorum iniuria non temperauerit, si (ut est fortuna mutabilis) miseris redierit felicitas, nimirum nocuisse miseris eum pœnitebit.

De simia & eius prole.

OMnes animantes suo conspectui Iupiter adesse iusserat, cuiusnam soboles esset pulcherrima iudicaturus. Properant feræ, aduolant aues, nec non ad id certamen adnatant pisces. Omnium postremo festinat simia, trahens secum suam prolem. Cuius quidem prolis fœdas nates cunctis ridentibus, sic insit: Maneat cui faueat Iupiter, uictoria: meo tamen iudicio, hic meus natus est bellus, & omnium natis iure præferendus. Hoc dicto subrisit & Iupiter.

Et nos, & nostra nobis placẽt. Sed de nobis & de nostris factis aliorũ sit iudiciũ, ne si ipsi iudicemus, cũ simia rideamur.

De

De pauone & grue.

PAuo & grus una cœnant. Pauo se iactat, caudā ostentat, gruem contemnit. Grus fatetur pauonem formosis esse pennis, se tamē, dum uix tectis superuolat pauo, ammoso uolatu penetrare nubes.

Nemo alterum contempserit. Sua cuiq; dos, sua cuiq; est uirtus. Qui tua uirtute caret, forsan habet qua careas tu.

De quercu & arundine.

VAlidiore noto effracta quercus, in flumen præcipitatur: dūq; fluitat, hæret forte ramis suis in arūdine: miratur arundinem in tanto turbine stare incolumem. Hæc respodet, cedendo & declinando se esse tutam, inclinare ad notum, ad boream, ad omnem flatum. Nec mirū esse quod quercus exciderit, quæ non cedere, sed resistere concupiuit.

Potentiori ne resistas, sed hunc cedendo & ferendo uincas. Quod pulchre docet facundissimus Pēotarum Vergilius:

Nate dea, quo fata trahunt retrahuntq; sequamur.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

De tigride & uulpe.

VEnator iaculis agitabat feras: tigris iubet omnes feras absistere, seseq; unam ait bellum confecturam. Pergit uenator iaculari: tigris oppido sauciatur. Fugientem è prælio, telumq; extrahentem percontatur uulpes, quisnam ualentem beluam tam ualde uulnerasset? Respondet se autorem uulneris haud nosse, uerum ex uulneris magnitudine capere se coniecturam, aliquem fuisse uirum.

Fortes plerunq; sunt temerarij, & ars uim, ingenium fortitudinem superat.

De tauris & leone.

QVatuor fuere tauri, quibus placuit communem ipsorum esse salutem, & commune periculum. Videt leo simul pascentes: etsi esurit, tamen coniunctos aggredi metuit. Primum dat operam uerbis fallacibus segregare, tum segregatos laniat.

Concordia nihil est firmius, discordia etiam fortes reddit imbecilles.

De abiete & dumo.

FErtur olim abies despicere dumos: iactitat se proceram esse, locari in ædibus, cum uelo stare in nauibus: dumos autem humiles, uiles, nulli usui idoneos. Quorum quidem tale fuit responsum: Tu sane abies tuis gloriare bonis, & no striis insultas malis. Verum nec tua refers mala, & nostra præteris bona. Cum tu sonanti detruncare securi, quàm uelles tum nobis, qui securi sumus, esse te similem.

Et summæ fortunæ sua insunt mala, & humili fortunæ sua bona. Vt nil aliud nunc dicam, hæc secura est ac tuta, illa nec extra metum est, nec caret periculo.

Horatius canit in lyricis, Celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriunt'q; summos, Fulgura montes.

De piscatore & pisciculo.

SVbductus hamo pisciculus, orat piscatorem se dimitti. Ait modo se à matre fusum, at q; mensam cum adhuc minutus sit, non multum iuuare. Si dimittat, postea grandem ultro ad hamum eius rediturum: piscator negat se dimittere prædam certam, licet exiguam. Quid habeam, inquit, scio: quid sim habiturus, nescio: ego spem precio non emo.

Certum præstat incerto, præsens futuro: & si nonnunquam exile commodum omissum, attulit magnum.

De alite & eius pullis.

Ales

Ales positos in segete pullos monet, ut dum ipsa abest, diligenter attendant si fiat sermo de occatione. Redeunti à pastu matri pulli anxij narrant dominum agri operam illam mandasse uicinis. Respondet nihil esse periculi. Item alio die trepidi aiunt rogatos ad metendum esse amicos. Iterum iubet illa ut sint securi. Tertio ut audiuit ipsum dominum cum filio statuisse postero mane cũ falce messem intrare: Iam, inquit, tempus est ut fugiamus. Vicinos & amicos non timui, quia non uenturos sciui. Timeo dominum: illi enim res est cordi.

Socordes alienis in rebus pleriq; sumus. Quod si quid rẽ tè curatum uelis, alteri ne mandes, sed cures ipse.

De auaro & inuido.

Duo homines orabant Iouem, cupidus & inuidus. Mititur à Ioue Apollo, per hunc ut eorum uotis satis fiat: dat hic utriq; optandi liberam facultatem, hac conditione, ut quodcunq; petisset alter, id ipsum alter acciperet duplicatum. Hæret diu cupidus, cum nihil putat fore satis: petit tandem non pauca. Et duplum accipit socius. Porrò inuidus hoc petit, ut ipse uno priuetur oculorũ, lætus sociũ mulctandum esse utroq;.

Auaritiam quid possit satiare? Inuidia uero dementius est nihil. Quæ dummodo noceat alteri, sibimet imprecatur malum.

De leone & capella.

Vidit leo pendere dumosa de rupe capellam. Suadet descendere, ut in campo thymum, salicesq; carpat. Recusat capella descẽdere: uerba quidem eius haud sane mala, sed mentem esse plenam doli reclamans.

Cogita quid quis suadeat. Multi suadent utilia, non tibi sed sibi.

De cornice & urna.

Sitibunda cornix reperit urnam aquæ, sed erat urna profundior, quàm ut posset à cornice aqua contingi. Conatur effundere urnam, nec ualet. Tum lectos ex arena scrupulos iniectat: hoc modo aqua leuatur, & cornix bibit.

Interdum id quod non potes efficere ui, efficies prudentia & consilio.

De leone & uenatore.

Litigat leo cum uenatore: suam præfert fortitudinem hominis fortitudini. Post longa iurgia uenator ducit leonem ad Mausolæum, in quo sculptus erat leo, caput deponens in gremium uiri. Negat fera id satis esse iudicij: homines enim sculpere quod uellent, ait: quòd si & leones forent artifices, iam uirum sculptum iri sub pedibus leonis.

Quisq; quo ad potest, & dicit & facit quod suæ parti & causæ putat prodesse.

De puero & fure.

Sedebat puer flens apud puteum. Fur rogat causam flendi. Puer dicit rupto fune incidisse in aquas urnam auri. Homo exuit se, insilit in puteum, quærit. Vase non inuento, conscendit, atq; ibi nec puerum, nec suam inuenit tunicam. Puer quippe sublata tunica fugerat.

Falluntur interdum, qui fallere solent.

De rustico & iuuenco.

Erat rustico iuuencus, uinculi omnis iugiq; impatiens: homo astutulus, bestiæ resecat cornua: cornibus enim petebat. Tum iungit non currui, sed aratro, ne, ut solet, herum pulsaret calcibus, stiuam ipse tenet, gaudens industria effe-

effecisse, ut iam foret tutus & à cornibus & ab ungulis. Sed quid euenit? Taurus subinde resistens spargendo pedibus, os caputq; rustici opplet arena.

Sunt nonnulli sic intractabiles, ut nulla queant arte, nullo consilio tractari.

De satyro & uiatore.

Satyrus, qui deus nemorum olim est habitus, uiatorem niue obrutum, atq; algore enectum miseratus ducit in antrum suum, fouet igni. Spirantem autem in manus, perconta tur causam. Qui respondes, ut calefiant, inquit. Postea, cum accumberent, sufflat uiator in polenta. Quod cur faceret interrogatus, ut frigescat inquit. Tum continuo Satyrus uiatorem eijciens, nolo, inquit, in meo sit antro cui tam diuerso sum sit os.

Caue sit in tuo conuictu homo duplici ore, quiq; in sermone est Protheus.

De apro & rustico.

Aper uastanti segetes, rusticus præcidit auriculam. Iterum deprehenso, præcidit alteram. Et tunc quoq; redeuntem capit, captum portat in urbem destinatum lautitiæ sui patroni. Secta iam in conuiuio belua, nusquam apparet cor. Excandescente hero, & flagitante cocos, uillicus respondet, Patrone, inquit, non est mirum non apparere cor: nam credo stultum aprum nunquam cor habuisse. Nam si cor habuisset nũquam in pœnam suam ad meas segetes toties redisset. Sic rusticus. At omnes conuiuæ emori risu, cachinnari de stultitia rustici.

Multorum hominum est excors uita, ut an cor habeant possis ambigere.

De tauro & mure.

Mvs tauri pedem momorderat, fugiens in antrũ suum. Taurus uibrat cornua, quærit hostem, nusquã uidet. Irridet eum mus. Quia (inquit) robustus, non idcirco quem uis contempseris. Nunc te (& quidem gratis) læsit exiguus mus.

Tritum illud est uerbum, quod significantius nostrate lingua dixerim: Vliemant sol sinen find verachten. *Latine sic: Nemo hostem suum floccipendat.*

De rustico & Hercule.

Rvstici currus hæret in profundo luto. Mox supinus deum Herculẽ implorat. Intonat uox è cœlo. Inepte, inquit, flagellas equos, & ipse annitere rotis, atq; tum Herculem uocato: tum enim aderit Hercules uocatus.

Nihil prosunt ociosa uota, quæ sane deus non audit. Iua ua temet, inquiunt, ipse tum iuuabit te deus.

De anſere.

Fvit anser, qui ponebat oua aurea singulis diebus singula. Dominus ut subito fiat diues, anserem iugulat, sperans intus latere gazam. Sed anſere inuento uacuo, stupet miser, anxieq; dehinc suspirat, ac plangit, & rem & spem perijsse.

Moderanda sunt uota. Curandum est ne uel præproperi simus, uel nimij. Nam & festinãtia nocet, & qui plura quàm decet quærit, interdum acquirit nihil.

De cicada & formica.

Cvm per æstatem cicada cantat, formica suam exercet messem, trahit in antrum grana, reponens in hyemem. Sæuiente bruma, famelica cicada uenit ad formicam, mendicat uictum. Renuit formica, dictitans sese dum illa cantabat, laborasse.

Qui

Qui segnis est in iuuenta, egebit in senecta: & qui nō parcit, olim mendicabit.

De simia & duobus eius natis.

Simia, ut ferunt, cum peperit gemellos, alterum diligit, alterum negligit. Erat puerpera cum gemellis: Atq; cum incidisset terror, uitatura periculum, dilectum prehendit ulnis, quem, dum præceps fugitat, collidit petræ, atq; enecat. Neglectus autem, qui in hirsuto hæserat tergo fugientis, mansit incolumis.

Solet euenire, ut ipsi parentes filio quem tenerè amant, præ nimia indulgentia sint mali occasio & periculi, eo quem minus amarunt, præstante se strenuum ac probum.

De boue & iuuenco.

Bos iam grandis æuo quotidie trahebat aratrum. Iuuencus laboris expers, uicinis exultat in pascuis: ac tandem insultat fortunæ senioris. Iactat se iugi uinculi insciũ, se liberum, se ociosum, illi attritum esse labore collũ. Denicq; se glabrum ac nitidum, illum esse hirtum ac squalidum. Senior tũ quidem nihil contra, sed breui post tempore uidet hũc insultatorem duci ad aras, ac tum hisce uerbis affatur: Quò tua mollis uita peruenit? Securum istud ocium rediit ad se curim. Iam saltẽ (ut opinor) potius suades mihi laborem qui metuetur, quàm ocium, quod nunc te traxit ad necem.

Ad uitam rectè gerendam opus est labore & uigilantia. Socors autem & uoluptati deditus, suarum rerum quem nõ let, sortietur exitum.

De cane & leone.

Occurrit canis leoni: iocatur: quid tu miser exhausius inedia percurris syluas & deuia? Me specta pinguem ac nitidum, atque hæc non labore consequor, sed ocio.

Tum leo: Habes tu quidem tuas epulas, sed habes stolide etiam uincula. Tu seruus esto qui seruire potes: equidem sum liber, nec seruire uolo.

Pulchre respondet leo, quibuslibet enim rebus potior est libertas.

De piscibus.

Piscis fluuialis ui fluminis correptus est in mare. Vbi suam efferens nobilitatem, omne marinum genus uili pendebat. Non tulit hoc phoca, sed ait tunc fore iudicium nobilitatis, si cum phoca captus portaretur ad forum: se emptum iri à nobilibus, illum autem à plebe.

Multi sic capti sunt libidine gloriæ, ut sese ipsi prædicent & iactent. Sed laus sui oris non datur homini laudi, at excipitur cum risu.

De pardo & uulpecula.

Pardus, cui pictum est tergum, cæteris feris, etiam leonibus despectis, intumescebat. Accedit ad hunc uulpecula, suadet non superbire, dicens illi quidem esse speciosam pellem, sibi uero speciosam esse mentem.

Discrimen est bonorum & ordo. Bona corporis præstant bonis fortunæ. Vtrisq; illis animi bona præferantur oportet.

APOLOGI EX CHILIADIBVS adagiorum Erasmi desumpti ad communem puerorum fructum.

De uulpecula & pardale.

Cum aliquãdo pardalis uulpẽ præ se contemneret, quòd ipsa pellẽ haberet omnigenis colorum maculis uariegatã, respõdit uulpes, sibi id decoris in animo esse quod illi esset in cute.

Neq

Neq; uero paulò satius est ingenio præditum esse uafro, quàm cute uersicolore.

De uulpe & fele.

CVm aliquandò uulpes in colloquio, quod illi erat cum fele iactaret sibi uarias esse technas, adeo ut uel pe tam haberet dolis refertam: feles autem responderet sibi uni cam duntaxat artem esse, cui fideret, si quid esset discriminis. Inter confabulandum repente canum accurrentium tumul tus auditur. Ibi feles in arborem altissimã subsilijt, cum uul pes interim à canum agmine cincta capitur.

Innuit fabula præstabilius esse nonnunquam unicum con silium, modo id sit uerum & efficax, quàm plures dolos, con silia q; friuola.

De rege & simijs.

REx quidam Aegyptius aliquot simias instituit, ut sal tandi rationem perdiscerent: ut enim nullum animal ad figuram hominis propius accedit, ita nec aliud actus hu manos aut melius, aut libentius imitatur. Artem itaq; saltan di protinus edoctæ, saltare cœperũt, insignibus indutæ pur puris ac personatæ. Multoq; iam tempore maiorem in mo dum placebat spectaculum, donec è spectatoribus facetus quispiam, nuces, quas clanculum in sinu gestabat, in medium abiecit. Ibi statim simiæ, simul atq; nuces uidissent, oblitæ choreæ, id esse cœperunt quod antea fuerant, ac repente è sal tatricibus in simias redierunt. Contritisq; personis, dilacera tis uestibus, pro nucibus inter se pugnabant, non sine maxima spectatorum risu.

Admonet hæc fabula, fortunæ ornamenta non mutare hominis ingenium.

De asino & uiatoribus.

Duo quidam cum in desertis locis asinũ quempiã forte fortuna nacti essent, contendere inter se cœperunt, uter eorum uti suum domum abduceret. Nam utriq; pariter à fortuna uidebatur obiectus. Hac interim de re illis inuicẽ altercantibus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est.

Quidam à præsentibus commodis, quibus ob inscitiam uti nesciunt, excidunt.

De piscatoribus.

Piscatores aliquot iacto reti, testudines eduxerunt: eas cum essent inter sese partiti, neq; sufficerent omnibus comedendis, Mercurium fortè accedẽtem inuitârunt ad conuiuium. At is intelligens se neutiquam humanitatis gratia uocari, sed ut eos fastidito cibo subleuaret, recusauit, iussitq; ut ipsi suas testudines ederent, quas cepissent.

Nonnulli posteaquam inconsulte quippiam adorti sunt, aliorum implorant auxilium, quos suo negocio admisceant.

De asino.

Apud Cumanos asinus quispiam pertæsus seruitutem, abrupto loro in syluam aufugerat, illic forte reperĕtum leonis exuuium, corpori applicat suo, atq; ita pro leone sese gerebat, homines pariter ac feras uoce caudaq; territãs. Nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquandiu personatus hic asinus pro leone immani habitus ac formidatus, donec hospes quispiam Cumas profectus, qui sæpenumero uiderat & leonem & asinum, atq; ob id non erat difficile dignoscere aurium prominentium indicio, neq; non alijs quibusdam coniecturis asinum esse deprehendit, ac probe fustigatum reduxit, dominoq; agnoscenti reddidit. Interim autem risum non mediocrem concitabat omnibus Cumanis asinus iam agnitus, quos dudum credi-

tum

tus leo, metu propemodum exanimauerat.

Haud facile legimus uitia, quæ à puero nobiscum adoleuerunt.

De scarabeo & aquila.

SCarabeus aliquando spretus ab aquila, cœpit de uindicta quoquo pacto sumenda cogitare. Præuestigauit ubi nam aquila nidum collocasset. Adrepsit scarabeus, & oua simili dolo deiecit. Aquila cum sæpius domicilium commutasset, neq; quicquam proficeret, Iouem patronum adijt, exponit calamitatem suam: is iubet, ut suo in gremio ponat oua, uel isthic in tuto futura. Et huc per uestis laciniat, sinusq; prorepsit pertinax scarabeus, haudquaquam sentiēte Ioue. Deinde ubi uidet oua commoueri Iupiter, neq; satis animaduertit: un de territus rei nouitate, excusso gremio, in terram deiecit.

Monet hæc fabula, neminem quantumuis pusillum, contemnendum esse.

De simijs & pardale.

IN Mauritania simiarum ingens copia, pardalis autem animal est natura simijs infestissimum, quas tamen uiribus assequi non potest, nimirum illis in summas arbores subuolanti bus. His itaq; dolis in eas utitur. Sternit se supinam sub ramis, ac porrectis cruribus emori fingit sese. Gaudent eo spectaculo simiæ considentes in arbore: deinde ubi iam mortuam arbitrantur, unam aliquam emittunt exploraturam, num uere mortuus sit hostis. Illa cautim ac pedetentim accedens, ubi nullum uitæ uidet argumentum, pardalē nimirum modis omnibus eadauer imitante, demum audet etiam conscendere. Quod simul ac reliquæ simiæ conspexerunt, iam depositio omni metu descendunt, & pardalim omnia ferentē, circumsultant. Postremo conculcantes ludibrij causa donec

sentiens illas iam saltando defatigatas, derepente reuiuiscēs, aliam dētibus, aliā unguibus corripit, dilaniatq; ac deuorat.

Hostem simulantem uires deficere, sumopere fugiendum esse.

DE SATYRO ET RVSTICO, Aniani fabula, Erasmo quoq; interprete.

ATYRVS *quidam cum uehementer algeret, hyberno gelu supra modum sæuiente, à rustico quodam inductus est in hospitium. Admiratus autem cur homo inflaret in manus ori admotas, rogauit cur ita faceret: is respondit, ut frigidas manus halitus tepore calefaceret. Deinde ubi extructo foco, apposita mensa, in pultem feruidam rursum inflaret, magis etiam admiratus scisciatus est, quid hoc sibi uellet, Vti pultem, inquit ille, nimium feruentem halitu refrigerem. Tum Satyrus surgens à mēsa, quid ego audio inquit? Tun' eodem ex ore pariter & calidum & frigidum efflas? Valebis, neq; enim mihi ratio est cum eiusmodi homine commune habere hospitium.*

Notantur bilingues, qui eundem modo laudant, modo uituperant.

EX SECVNDO NOCTIVM ATticarum Gellij apologus Aesopi Phrygis, memoratu non inutilis.

De cassita.

ÆSOP

ESOPVS ille è Phrygia fabulator, haud immerito sapiens existimatus est, cũ quæ utilia monitu suasúq; erant, non seuere, non imperiose præcepit et censuit, ut philosophis mos est, sed festiuos delectabilesq; apologos commentus, res salubriter ac prospicienter animaduersas, in mentes animosq; hominum cum audiendi quadam illecebra induxit. Velut hæc eius fabella de auiculæ nidulo, lepide atq; iucunde præmonet, spem fiduciamq; rerum, quas efficere quis possit, haud unquam in alio, sed in semetipso habendam. Auicula, inquit, est parua, nomen est casita: habitat, nidulaturq; in segetibus: id fermè temporis, ut appetit messis. Pullis iam iam plumantibus, ea casita in sementes quoq; forte concesserat tempestiuiores, propterea frumentis flaueſcentibus pulli etiam tunc inuolucres erant. Cum igitur ipsa iret cibum pullis quæsitum, monet eos, ut si quid ibi nouæ rei fieret, dicerent ut ue, animaduerterẽt: idq; uti sibi, ubi redisset, renunciarent. Dominus postea segetum illarum, filium adolescentem uocat. Et uidẽsne, inquit, hæc ematuruisse, & manus iam postulare? idcirco die crastino, ubi primum diluculabit, fac amicos adeas, & roges ut ueniant, operamq; mutuam dent, & messem hanc nobis adiuuent. Hæc ubi ille dixit, discesserit: atq; ubi redit casita, pulli trepiduli circumstrepere, orareq; matrem, ut statim iam properet, atq; alium in locum sese asportet. Nam dominus, inquiunt, misit qui amicos rogaret, uti luce oriente ueniant & metant. Mater iubet eos à metu ociosos esse. Si enim dominus, inquit, messem ad amicos reijcit, crastino seges non metetur, neq; necesse est hodie uti uos efferam. Die igitur postremo, mater in pabulum uolat: dominus quos rogauerat, operitur: sol feruet, & fit nihil,

& amici nulli erant. Tum ille rursum ad filium, amici isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt: quin potius imus, & cognatos et affines uicinosq; nostros oramus, ut cras ad sint tempori ad metendum. Itidem hoc pulli pauefacti matri nunciant. Mater hortatur ut tum quoq; sine metu ac sine cura sint, cognatos affinesq; nullos fermè tam esse obsequibiles ait, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur, et statim dicto obediat. Vos modo (inquit) aduertite si modo quid denuo dicetur. Alia luce orta, auis in pastum profecta est, cognati & affines operam quam dare rogati sunt, supersedent. Ad postremum igitur dominus filio, Valeant, inquit, amici cum propinquis. Afferes prima luce falces duas, unâ egomet mihi, & tu tibi capies alteram: & frumentum nostrametipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audiuit, Tempus, inquit, est cedendi & abeundi: fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit: in ipso enim iam uertitur, cuia est res, non in alio unde petitur. Atq; ita cassita nidum migrauit, & seges à domino demessa est.

Hæc quidem est Aesopi fabula de amicorum plerunq; & propinquorum leui & inani fiducia. Sed quid aliud sanctiores libri philosophorum monent, quàm ut in nobis tantum ipsis nitamur? alia autem omnia quæ extra nos, extraq; nostrum animum sunt, neq; pro nostris, neq; pro nobis duceamus. Hunc Aesopi apologum Quintus Ennius in Satyris scitè admodum & uenustè uersibus quadratis composuit, quorum duo postremi isti sunt: quos habere cordi & memoriæ operæprecium esse hercle puto.

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis.

FABELLA EX LAMIA Politiani desumpta.

AVes olim propè uniuersæ noctuam adierunt: rogarunt́q; eam, ne posthac in ædium cauis nidificaret, sed in arborum potius ramis atq; inter frondes. Ibi enim uernari suauius. Quin eidem quercum modo enatam, pusillam, tenellaḿq; adhuc ostendebant, in qua scilicet molliter (ut dicebant) & sidere ipsa aliquando noctua, & suum sibi construere nidum posset. At illa facturam se negauit. Quin inuicem consilium dedit ijs, ne arbusculæ illi se crederent: laturam enim esse quandoq; uiscum, pestem uidelicet auium. Contempsere illæ (ut sunt leue genus & uolaticum) sapientis unius noctuæ consilium. Iam quercus adoleuerat, iam patula, iam frondosa erat. Ecce ibi aues illæ omnes gregatim ramis incolitant, lasciuiunt, subsultant, colludunt, cantillãt. Interea quercus ea uiscum protulerat, atq; id homines animaduerterant. Implicitæ ergo repente omnes pariter misellæ: frustra eas sera pœnitentia subijt, quòd salubre illud consilium spreuissent. Atq; hoc esse aiunt, cur nunc aues omnes ubi ubi noctuam uiderint, frequentes eam quasi salutant, deducunt, sectantur, circumsidunt, circumuolitant. Etenim consilij illius memores, admirantur eam nunc ut sapientem, stipant́q; densa caterua, ut uidelicet ab ea sapere aliquando discant. Sed opinor frustra, imò uero etiam interdum cum magno ipsarum malo. Nam ueteres illæ noctuæ reuera sapientes erant. Nunc multæ noctuæ sunt, quæ noctuarũ quidem habent plumas & oculos & rostrum, sapientiam uero non habent.

Bene monentis consilia ne spernas, hæc fabula docet.

APOLOGVS EX SECVNDO Libro Petri Criniti de honesta disciplina, desumptus.

SATA est olim cucurbita iuxta arborem pinum, quæ grandis admodum & ramis patulis extabat. Cucurbita uero cum multis pluuijs atq; cœli temperamento creuisset, lasciuire incipit, & ramulos latius porrigere. Iam serpere in pinum, iam surgere, iam ramos & frondes inuoluere audebat, ampliora folia, cadentes flores, prægrandia poma, & uirescentia ostentans. Itaq; tanto fastu atq; insolentia intumuit, ut pinum arborem ausa sit aggredi: & uides, inquit, ut te supero amplis folijs, ut uirore præsto, & iamiam ad cacumen prosurgo. Tum pinus, quæ senili prudentia & robore polleabat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed ita ad eam respondit: Ego hic multas hyemes, calores, æstus, uarias q; calamitates peruici, & adhuc integra consisto. Tu ad primos rigores minus audaciæ habebis, cum & folia concident, & uiror omnis obierit.

Secundis rebus non esse superbiendum.

FABVLA DE CORVO ET lupis, ex Ioanne Antonio Campano desumpta.

COruus lupos per ardua montium iuga comitatur, partem prædæ fieri postulat, qui eos secutus nullo tempore destituisset, sociusq; fuisset. Repulsus deinde à lupis nunquam non eos, sed prædam cibumq; secutus, nec minus luporum

uiperum si occiderentur, quàm cæterorum animalium exta fuisset uoraturus.

Non quid agamus, semper inspiciendum est, sed quo animo cum agimus.

Altera de partu terræ, ex eodem.

TVrgida olim facta tellus, & mirum in modum tumida, magnum aliquod paritura uidebatur. Accurrunt finitimi, stupet agricolæ, terræ partum inter spem metumq; expectant, alij Typhoëa illum centimanum, alij montes erupturam putabant. Aperitur terra, prodijt mus: & quod miraculo fore omnibus arbitrabatur, in risum atq; iocum conuerterunt.

Non semper credendum promissis magnificis.

APOLOGVS DE MEMBRIS & uentre, ex Plinio desumptus.

HVmani artus cum uentrem ociosum uiderent, ab eo discordarunt, & suum illi ministerium negauerunt. Cum eo pacto & ipsi quoq; deficerent, intellexerũt uentrem cibos acceptos, per omnia membra diuidere, & cũ eo in gratiam redierunt.

Magnæ res discordia pereunt, concordia ualent.

DE ARIONE ET DELPHINO Fabula elegantissima, ex lib. 16. A. Gellij.

VEtus & nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymnæus, terra atq; insula omni Lesbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumq; habuit artis gratia. Is inde à rege proficiscitur

terras inclytas Siciliam atq; Italiam uisere. Vbi cõ uenit, aures q; omnium, mentes q; in utriusq; terræ urbibus demulsit. In quæstibus istis & uoluptatibus, amoribus q; hominum fuit. Is tum postea grandi pecunia & re bona multa copiosus, Corinthum instituit redire. Nauem igitur & nautas ut notiores, amiciores q; sibi Corinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto, nauiq; in altum prouecta, prædæ pecuniæq; cupidos, cepisse consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta, pecuniam cæteraq; sua, ut haberent dedisse, uitam modo sibi ut parcerent, orauisse. Nautas precum eius harum commisertos esse illatenus, ut ei necem adferre per uim suis manibus temperarent. Sed imperauisse, ut iam statim desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus spe omni uitæ perdita, id unum postea orauit, ut priusquam mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sibi consolabile. Feros & immanes nauitas prolubium tamen audiendi subit. Quod orauerat, impetrat. Atq; ibi mox de more cinctus, ornatus, stansq; in summæ puppis foro carmen quod Orthium dicitur, uoce sublatissima cantauit. Ad postrema cantus cum fidibus, ornatuq; omni, sicut stabat, canebatq;, eiecit sese procul in profundum. Nautæ haudquaquam dubitantes quin perisset, cursum quem facere cœperant, tenuerunt. Sed nouum & mirum & pium facinus contigit, delphinum repente inter undas adnauisse, & dorso super fluctus edito uectauisse, incolumiq; eum corpore & ornatu, Tænarum in terram Laconicam deuexisse. Tum Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petiuisse, talemq; Periandro regi, qualis delphino uectus fuerat, sese obtulisse: eiq; rem, sicuti acciderat, narrauisse. Regem isthæc parum credidisse,

Arion

Arionem quasi falleret custodire iussisse. Nautas requisitos, ablegato Arione, dissimulanter interrogasse: ecquid audissent in ijs locis, unde uenissent, super Arionem? Eos dixisse, hominem cum inde irent, in terra Italia fuisse, eumq; illic bene agitare, & studijs delectationibusq; urbium florere, atq; in gratia pecuniaq; magna fortunatum esse: tum inter haec eorum uerba Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in salum eiaculauerat, extitisse. Nautas stupefactos, conuictosq;, ire inficias non quisse.

Documento est haec fabella, plus aliquãdo inueniri in brutis animalibus clementiae, quàm in ijs hominibus, qui praeter opes nihil habẽt pensi, praeter figuram nihil humanitatis.

NICOLAI GERBELLII Phorcensis Apologus lepidissimus.

De aranea & podagra.

ARANEA *paululum à texendo opere quietior, animi relaxandi gratia commodum deambulabat. Huic se obuiam praebuit podagra, tametsi passibus ambiguis, admodũ aegre illam assequeretur. Eius diei itinere utcunq; emenso, non longe aberant ab oppidulo, cui regionis eius incolae Tiche nomen indiderant. Vtriq; consilium fuit, conditionis suae hospitem praestigare. Aranea non maximopere data opera, in opulenti cuiusdam ciuis aedes diuertit. Inibi quaquauersum telas suas praepandebat, praetendebatq; retia. Aderant*

ilico nescio qui trygodæmones, qui textrinam illius demolie bantur. Momentaneum itaq; erat ipsius, quo etiam cunq; se uerteret, ædificium. Nusquam enim scopariorum oculatas scopas poterat effugere. Misera plane, quæ in tanta rerum omnium affluentia sola egebat, proturbabaturq;. Podagra uero mendicabuli instar uix tandem egestosi cuiuspiã tuguriolum impetrârat. In id loci cum uenisset, nihil non experiebatur miseriarum. Apponebatur cœnaturienti panis cibarius, aridis uix faucibus hianti hydropoterium. Iamq; diurno itinere lassescenti torus ligneus, nullis frondibus, nullo gramine, sed prætenuibus paleis insternebatur. Atqui dicere non est huius instituti, quàm conuenerint male membris mollibus cuticulæ (ut ita dixerim) holosericæ stragula tam dura, tam barbari uilli. Oriente igitur uix tandem illo augusto sidere, quod exaudit, quod intuetur omnia, conuenere rursum aranea simul & podagra. Prior aranea præteritæ noctis molestias, tot locorum commutationes denarrat, nunc heri exprobrans munditiem, nunc nimiam scopariorum obseruantiam. Podagra contrà de hospitis sui egestate complura comminiscitur. Nec ocium habet administrare araneæ liuidas uibices, quas adamantina fulcra tenellæ cuticulæ imprefferant. Consilium ineunt, araneam deinceps pauperum tuguria, podagram uero diuitum aulas debere subingredi. In hanc aranea pedibus, podagra animis uadit sententiam. Veruntamen tenebris iamiam increscentibus, urbi cupiani sese approximant. Podagra instituti non immemor, pedetentim se in numosi cuiusdam domum illatebrauit. Qua commodum ab hero conspecta, dij boni, qua beneuolentia, qua humanitate, quibus nominibus excipitur. Supponuntur, substruuntur q; oloriuæ culcitræ, toralia perdicum subalaribus plumis

plumis referta. Taceo uinum dulce, uinum nigrũ, Lesbium, Surrentinũ: taceo ficedulas, phasianos, atq; eas auiculas quæ binis superbiũt cordibus. In summa, nihil deliciarũ, nihil uoluptatum nõ exhauriebat. Aranea pauperis casam ingressa, telas orditur quaquauorsum parietes interpatent, retia suspendit. Orbiculari operi manibus pedibusq; incumbit. Reficit abrupta, perficit intercepta. Et ut dicam breuiter, uacua dominatur in aula. Nullas insidias, nullius formidat insultus. Imò uero etiam iam scopis superior omnibus. Non multo post podagra araneam conuenit, delitias suas, felicitatem, fortunas ampliter exornat. Aranea miris laudibus extollit imperium suum, ædificãdi texendiq; libertatem. Placuit tandem hæc utriusq; sententia, quorsumq; proficiscerentur, podagram in diuitum domos, araneam in pauperum tuguria debere diuertere.

Apologus hic, tametsi ad usus uarios accõmodari queat, id tamen in primis declarat, alium alio loco fortunatiorem esse. Præterea morborum domicilium esse diuitũ aulas. Ad ultimũ, nusquã libertatẽ maiorem, quàm ubi diuitiarũ minus.

DOMITIVS PALLADIVS SOranus Pollioni Vadio sacerdoti uenerando S. P. D.

IAMPRIDEM tuo sermoni de Abstemio frequenti literarum consessu, Pollio uenerande, non inuitus interfui, cum minime prætextatis, ut ita dicam, laudibus hominem celebrares, adeoq; in arcem euasisti, ut nemo sanè mea sententia eum cu-

mulatius laudare potuerit. Mox inde secedẽs, diu hæc omnia mecum animo uolutabam, unde tanta conflueret laudationis abundantia, unde tanta non uulgaris obseruatio emanaret, unde deniq; amicitia adeò perfecta exoriretur. Proculdubio non aliunde mecum tandẽ collegi, quàm ex præclaræ eius uirtutis nomine proficisci, cuius quidẽ uis magna & præpotens est. Quamobrem non possum profecto non suspicere ingeniũ tuũ amabile, tuumq; animum uirtutibus fultũ, diligẽtius non admirari, qui neq; ambitione, neq; inuidia, neq; aliquo alio liuore deuincitur. Siquidẽ omnes quas meretur Abstemius noster, laudes non transis silentio, imò ad alias ipsas cumulãdas ob eius incredibilem eloquentiã, singularemq; doctrinam ultro accedis: idq; haud ab re, cum pater omnium elegantiarum, atq; idem lepõrum omnium merito sit & habeatur. Et ut hæc clariora luce, non officij gratia, aut temere dicantur quotidie, quemadmodum aliqua eius laborũ monumenta existere uidemus, quæ undiq; perfecta uerborum concinnitate, perspicacissimisq; sentẽtijs scatent. Nam modo dicam de hoc apologorũ libello nuper impresso, in quo perspicua ac insignis eius ingenij amœnitas, nõ absq; laude maxima redundare uidetur. Quare nõ uereor, ut is remisso cuiuscunq; animo pessum eat, Abstemioq; (abfit inuidia uerbo) omniũ q̃ iucũdissimo detrahatur. Cui & te et me, ob tãti noĩs celebritatẽ, nulla unq̃ in re defuturos esse liqdò constabit. Vale.

LAV-

LAVRENTIVS ABSTEMIVS Octauiano Vbaldino comiti Mercatelli S. P. D.

EDITVRVS hunc Apologorum libellum, quem de numero fabularum Hecatomythium nuncupaui, multum diuq; dubitaui, Octauiane princeps inclyte, tuóne eum nomini potissimum dedicarem. Nam cum tuam in me non sine plurimis beneficijs perspicerem beneuolentiã, non ali quid mearum uigiliarũ tibi deuouere, ingratissimi hominis esse uidebatur. Rursus, cum tuorũ in me officiorũ numerũ diuinasq; uirtutes tuas me cum ipse reuoluerem, indignũ tantis meritis, tan taq; sapientia munusculum hoc esse cernebam. Hanc tandem dubitationem meã amouit humanitas et prudentia tua, qua non tam res tibi dono datas, quàm offerentium uoluntatem soles inspicere. Addidit quoq; mihi animum Guidus Vbaldus, clarissimus Dux et Princeps meus omni laude maior, qui opusculum meum de nonnullis locis obscuris superiori anno ei dedicatum, uultu ita placido & serena fronte susceptit, ut sperare merito possem, hoc tibi qualecunq; fore non ingratum. Non mediocriter etiam me incitarũt Georgius Emus, pro Venetis hic agens Legatus, non solum patritia nobilitate, uerum etiam bonarum artium studijs clarus, & Carolus Verardus Cęsenas, Archidiaconus Cæsenæ, & Alexandri Pon-

tificis maximi Cubicularius, uir omni literarum genere præstans, necnon Renatus Melioratus & Robertus Vrsus Ariminenses, Iurisconsulti clarissimi, nec minus, quæ humanitatis uocant, studijs eruditi. Hi enim, alijq; complures optimi harum rerum censores, cum hunc libellum legissent, multis me uerbis ad æditionem sunt cohortati. Nõ putaui igitur tam humano principi hoc munus ingratum futurum, quod tot eruditis uiris antè placuisse cognoueram. Accipe hoc quicquid est libelli ab Abstemio tuo, cuius mentẽ animumq; si penitius posses inspicere, in hac tenui re magnũ munus tibi iudicares oblatũ. Ne quis autem inutilem & inanem hunc meũ scribẽdi laborem existimaret, præfatiunculam quandã præponendam censui, qua intelligeretur, doctos etiã et claros uiros in magnis rebus huiusmodi fabulis non uoluptatis tantum, uerumetiã utilitatis gratia delectatos. Sedulo dedimus operã, ut seria potius quàm iocos saperent, unde ridiculas multas, quæ inter componendũ sese mihi offerebant, consulto præterij: quia nimis lasciuæ, & tanti principis grauamine mihi uidebantur indignę. Non tamen ita agrestis esse uolui, quin eas aliqua urbanitate aspergerem, maxime ad principem scribẽs, cum principes curarũ mole pressi, soleant interdum recreãdi animi gratia iocos appetere. Vale.

Eiusdem Abstæmij procœmium.

COgitãti mihi uaria scriptorum genera, qui, ut humanæ uitæ prodessent, cogitationes suas

ſuas literarum mandauere memoriæ, qui apologos ſcripſere, nõ poſtremo loco digni eſſe uidentur, Non modo enim mortaliũ animos incredibili quadam afficiũt uoluptate, uerumetiã ad res honeſtas, utilesq; peragendas ſuis fabellis magis quàm philoſophi ſuis præceptis alliciunt. Nã ita legentium animos quadã iucunditate penetrãt, & quibuſdam ſimilitudinibus, quæ maxime ad cõmouendos animos ualent, quid uitandum faciendumq; ſit, oſtendunt: ut omnes etiam inuiti, illis aſſentire cogantur. Senſus enim audiẽdi faſti dioſiſsimus, res etiã utiles honeſtasq; haud facile admittit, niſi fuerint aliqua urbanitate cõditæ. Teſtis quidam orator Atheniẽſis, qui ad Athenienſes uerba faciens, cũ eos minus attentos uideret, rogauit ut ſaltem fabulã audire dignarẽtur: quo impetrato, Ceres, inquit & hirũdo & anguilla ſimul iter faciẽtes, ad quendã fluuium peruenerũt, hirundo quidem ſuperuolauit, anguilla autem amnem tranauit. Quod cum dixiſſet, obticuit. Interrogantibus autem illis, quid Ceres egiſſet, Vobis, inquit, dea ueſtra ſuccenſuit, qui eos qui uobis utilia ſuadent, audire nolẽtes, tam attentis auribus fabulãtes auditis. Quantã uim apologi habeãt ad animos cõmouendos, cũ multis poſſem, tribus ero contentus exemplis oſtendere. Samiis rectorẽ populi morti addicere uolẽtibus, Aeſopus hac fabula diſſuaſit, dicẽs, Vulpem quãdam fluuiũ tranſeuntem in lacunam fuiſſe propulſam. Vnde cũ exire nõ poſſet, tenaci limo retenta, mu-

scarũ affligebatur aculeis. Quod herinaceus conspicatus, misericordia motus est, interrgauitq; an uellet ut ab ea muscas abigeret. At illa abnuit, dicens: Hæ meo sanguine iam plenæ, paruam mihi possunt inferre molestiã, si autẽ has abegeris, aliæ famelicę superuenient, quę quicquid mihi superest sanguinis, exhaurient. Ita ô uiri Samij uobis eueniet. Si enim hunc rectorem uestrũ iam locupletem occideritis, alios eligatis necesse est, qui dum se opibus uolent implere, quicquid hic uobis reliquit, eripient. His uerbis moti Samij ab incepto destitere. Hac ratione adductus Tiberius Cæsar, diurnos magistratus dabat: unde (ut refert Iosephus) sub eo per uiginti annorũ spatia, per duos tantum præsides, Gratum scilicet & Pilatum, est gubernata Iudæa. Nõ parcit populis regnum breue, ut inquit Statius. Himerenses Phalaridem Agrigentinorũ tyrannum ducẽ exercitus sui eligere uolentes, Stesichorus poeta hoc apologo deterruit: Equus, dicens, solus pascebat in prato, adueniente autẽ ceruo, & pascua corrũpente, cõsuluit hominem qua posset illum arte punire. Cui homo: Si frenũ, inquit, acceperis, et me armatum dorsum tuũ ascendere permiseris. Cum huic cõsilio esset obsecutus, ceruũ quidẽ hominis auxilio uictor abegit: sed non amplius hominẽ dorso, non frenũ depulit ore. Ita inquit Stesichorus, uiri Himerenses uobis eueniet, si Phalaridem ducem efficietis, hostes quidem uestros punietis, sed huic tyranno perpetuo seruietis. Quibus uerbis

territi

territi Himerenſes, huiuſmodi ducis eligẽdi conſiliũ depoſuere. Cum populus Rom. ab ſenatu ſeceſſiſſet, ꝙ tributũ & militiã toleraret, nec ullo pacto reduci poſſet, nónne Agrippa Menenius eũ hoc apologo reuocauit? Olim, inquiens, Quirites, humani artus uentrẽ ocioſum & deſidem intuentes, ab eo diſcordârunt, nec amplius illi cibum miniſtrare decreuerunt. Sed cum ipſi quoq; alimenta illi denegãdo, quæ per omnia membra deferuntur, deficerent, cũ eo in gratiam redierũt. Eodem, inquit, modo ſenatus & populus, quaſi uenter & membra alterum alterius auxilio indigent, & ut diſcordia intercũt, ita concordia ualẽt. Qua fabula populus reuocatus, cum ſenatu in gratiam rediit. Non immerito igitur, non ſolum Græci & Latini poetæ, ut Heſiodus & Horatius, huiuſmodi fabulas ſuis operibus inſeruerunt, uerumetiam maximi & celeberrimi philoſophi, ut Plato, Ariſtoteles, Plutarchus, et multi alij eas plurimum commendârunt, & ad inſtitutionem moralis & ciuilis uitæ non minimum facere arbitrati ſunt. Quocirca Omnibonus Leonicenus, & Laurentius Valla ætatis noſtræ doctiſſimi, paucos Aeſopi apologos è Græco in Latinum uertêre, ſibi laudi, cæteris uero uoluptati fore nõ dubitarunt. Et iure quidem. Leguntur enim, & in doctiſſimorum uirorum manibus quotidie uerſantur. Non uideo igitur cur has componẽdo fabulas, laude fraudari debeant quam cęteri Latini extranslatione cõſecuti ſunt, niſi adeo inuidi ſimus,

ut Latinis licere non putemus, quod Græcis est cum summa omnium laude concessum.

De mure in cista nato. Fabula prima.

Mvs in cista natus, omnem ferè ibi duxerat ætatem nacibus pastus, quæ in ea seruari solebant. Dum autem circa oras cistæ ludens decidisset, quæreretq; ascensum, reperit epulas lautissime paratas: quas cum gustare cœpisset, quàm stultus, inquit, hactenus fui, qui in toto terrarum orbe nihil melius cistula mea esse credebam. Ecce quàm suauioribus hic uescor cibis.

Hæc fabula indicat, non ita patriam diligendam, si ignobilis sit, ut aliena non adeamus loca, cum alibi beatiores esse possimus.

De rustico impetrante, ut triticum absq; aristis nasceretur. II.

Impetrauerat à Cerere rusticus quidam, ut triticum absq; aristis nasceretur, ne metentium triturantiumq; manus læderet: quod ubi inaruit, à minutis auibus depastum est. Tum rusticus, quàm digna, inquit, patior, qui paruæ commoditatis causa emolumenta quàm maxima perdidi.

Fabula indicat parua cõmoda maiori utilitate pensanda.

De accipitre columbam insequente. III.

Cvm accipiter columbam præcipiti insequeretur uolatu, uillam quandam ingressus, à rustico captus est. Quem blande, ut se dimitteret, obsecrabat. Nõ enim te læsi, dicens. Cui rusticus, nec hæc, respondit, te læserat.

Fabula indicat, merito puniri qui innocentes lædere conantur.

De

De aranea & hirundine. III.

ARanea in hirundinem excandescens, quæ muscas, qui suus est cibus, capiebat, retia in foribus, per quas uolitare solebat, ut eam caperet, suspenderat. Hirundo uero aduolans, retia cum textrice per aera portabat. Tunc aranea in aere pendens, & se iamiam peritura intelligens, quàm iuste hæc patior, dicebat, quæ minima uolatilia magno labore uix capiens, credidi tam magnas aues posse comprehendere.

Hac admonemur fabula, ne uiribus maiora aggrediamur.

De rustico amnem transituro. V.

RVsticus torrentem transiturus, qui forte imbribus excreuerat, quærebat uadum. Et cum primum eam fluminis partem tentasset, quæ quietior placidiorq; uidebatur, reperit eam altiorem, quàm animo erat opinatus. Rursus ibi breuiorem tutioremq; adinuenit, ubi maiori aquarum strepitu fluuius decurrebat. Tum secum, Quàm tutius, inquit, clamosis aquis, quàm quietis et silentibus uitam nostram credere possumus.

Hac admonemur fabula, ut minus uerbosos & minaces quàm quietos extimescamus.

De columba & pica. VI.

COlumba interrogata à pica, quid eam induceret, ut in eodem semper loco nidificaret, cum eius pulli inde sibi semper surriperentur: simplicitas, respondit.

Hæc indicat fabula, facile esse uiros probos sæpe decipi.

De cuculo & accipitre. VII.

IRrisus ab accipetre cuculus, quòd cum sibi et corpore par et colore non absimilis esset præ angustia animi potius uermibus terrenis, quàm suauibus aliarum auium carnibus ue-

ſceretur, uidit paucis poſt diebus accipitrem à ruſtico, cuius columbas inſectabatur, captum, & metu cæterorum ex alia turre pendere. Cui cuculus: Quàm melius tibi, inquit, amice fuiſſet, uermes uenari, quàm alienas aues impetere.

Hæc fabula indicat, eorum uitam tutiorem eſſe, & magis probandam, qui ſuis rebus ſine periculo contenti ſunt, quàm illorum qui aliena appetentes, adeunt magna uitæ diſcrimina.

De aſino & uitulo. VIII.

Asinus & uitulus in eodem paſcẽtes prato, ſonitu eam panæ hoſtilem exercitum aduentare præſenſerant. Tum uitulus, Fugiamus hinc ô ſodalis inquit, ne hoſtes nos captiuos abducant. Cui aſinus, Fuge tu, inquit, quem hoſtes occidere & eſſe conſueuerunt, aſini nihil intereſt, cui ubique eadem ferendi oneris eſt propoſita conditio.

Hæc fabula ſeruos admonet, ne dominos magnopere mutare formident, modo prioribus deteriores futuri non ſint.

De uulpe et mulieribus gallinam edentibus. IX.

Vlpes iuxta uillam quandam tranſiens, conſpexit cæteruam mulierum plurimas gallinas opipare aſſatas alto ſilentio comedentem: ad quas conuerſa, Qui clamores, inquit, & canum latratus contra me eſſent, ſi ego facerem quod uos facitis? Cui reſpondens quædam anus, Peſſima animalium, inquit, nos quæ noſtra ſunt comedimus, tu uero aliena furaris.

Hæc fabula nos admonet, ne putemus nobis in re aliena licere, quod proprijs dominis licet.

De caponibus pinguibus & macro. X.

Vir

VIr quidam complures capones in eodem ornitoboſco incluſos, largo nutricauerat cibo, qui pingues effecti ſunt omnes præter unum, quem ut macilentum irridebant fratres. Dominus nobiles hoſpites lauto & ſumptuoſo acceptaturus conuiuio, imperat coco, ut ex his interimat coquatq́, quos pinguiores inuenerit. Hoc audientes corpulenti, ſeſe afflictabant, dicentes, quanto præſtitiſſet nos macilentos eſſe.

Hæc fabula in pauperum ſolamen conficta eſt, quorum uita tutior eſt, quàm diuitum.

De trabe & bobus eam trahentibus. XI.

TRabs ulmea de bobus conquerebatur, dicens: Ingrati, ego multo tempore meis uos frondibus alui, uos uero me nutricem ueſtram per ſaxa & luta trahitis. Cui boues, gemitus ſuſpiriaq́ noſtra, & ſtimulus quo pungimur, te docere poſſunt, quòd te trahamus inuiti.

Hæc nos docet fabula, ne in eos excandeſcamus, qui non ſua ſponte nos lædunt.

De arboribus pulchris & deformi. XII.

ARbores complures in eodem creuerant loco proceræ, rectæ, enodesq́, præter unam humilem, paruam nodoſamq́, quam ut deformem, puſillamq́ cæteræ ludibrio habere ſolitæ erant. Aedificaturus domum loci dominus, iubet omnes excidi, præter eam, quæ breuitate & deformitate ſua ædificium indecorum redditura uidebatur. Cæteris exciſis, deformis hæc ſecum dicebat, De te non amplius querar natura quod me turpem genueris, cum formoſis tam magna uideam imminere diſcrimina.

Hæc fabula nos admonet, ne doleamus nos natos eſſe deformes, cum multis formoſitas ſæpe nocuerit.

De cygno in morte canente reprehenso à ciconia. XIII.

CYgnus moriēs interrogabatur à ciconia, cur in morte, quam cætera animalia adeo exhorrent, multo suauiores quàm in omni uita emitteret sonos, cum potius mœstus esse deberet. Cui cygnus: quia, inquit, neq; cibi quærendi cura amplius cruciabor, neq; aucupum laqueos extimescam.

Hæc fabula nos admonet, ne mortem formidemus, quæ omnes uitæ miseriæ præciduntur.

De muliere uirum morientem flente, & patre eam consolante. XIIII.

MVlierem adhuc iuuenem, cuius uir animam agebat, pater consolabatur, dicens: Ne te afflictes tantopere filia, alium enim uirum tibi inueni isto longe formosiorem, qui prioris desiderium facile mitigabit. At mulier doloris impatiens, ut quæ maritum ardenti amore prosequebatur, non modo uerba parentis non admittebat, sed intempestiuam alterius mariti mentionem accusabat. At ubi maritum defunctum uidet, inter lachrymas & luctus parentem interrogat, an adsit ibi iuuenis ille quem sibi in uirum dare uelle se dixerat.

Fabula indicat quàm cito defunctorum maritorū amor ex uxorum animo excidere soleat.

De muliere amatoris discessum flente. XV.

MVlier impudica amatorem suum abeuntem, quem omnibus fere rebus spoliauerat, multis lachrymis prosequebatur. Interrogante autem eam uicina, cur ita inconsolabiliter fleret, Non discessum eius, inquit, sed pallium quod ei reliqui, fleo.

Fabula

Fabula indicat non amatores, sed eorum bona à meretricibus amari.

De musca quæ quadrigis insidens, puluerem se excitasse dicebat. XVI.

QVadrigæ in stadio currebant, quibus musca insidebat. Maximo autem puluere, tum equinorum pedum pulsu, tum rotarum uolutatione exorto, dicebat musca: Quàm magnam uim puluueris excitaui.

Hæc fabula ad eos spectat, qui cum ignaui sint, alienam tamen gloriam suis magnificis uerbis in se transferre conantur.

De anguilla conquerente & magis quàm serpens infestaretur. XVII.

ANguilla interrogabat serpentem, quare cum similes essent atq; cognati, homines tamen se potius quàm illum insequerentur. Cui serpens, quia rarus, inquit, me lædit impune.

Fabula indicat, minus lædi solere, qui sese ulciscuntur.

De asino, simia & talpa. XVIII.

COnquerenti asino quòd cornibus careret, simiæ uero quòd cauda sibi deesset, tacete, inquit talpa, cum me oculis captam esse uideatis.

Hæc fabula ad eos pertinet, qui non sunt sua sorte contenti. Qui si aliorum infortunia considerarent, æquiori animo tolerarent sua.

De nautis sanctorum auxilium implorantibus. XIX

NAuta quidam in mari subita & atra tempestate deprehensus, cæteris eius socijs diuersorum diuorum auxiliũ implorantibus, nescitis, inquit, quid petatis. Ante enim

quàm sancti isti ad deum pro nostra liberatione se conferãt, hac imminente procella obruemur. Ad deum igitur confugiendum censeo, qui absq; alterius adminiculo à tantis malis nos poterit liberare. Inuocato igitur dei omnipotentis auxilio, ilico procella cessauit.

Fabula indicat, ubi potentioris auxilium haberi potest, ad imbecilliores non confugiendum.

De piscibus è sartagine in prunas desilientibus. XX.

PIsces adhuc uiui in sartagine feruenti oleo coquebantur, quorum unus, fugiamus hinc fratres, inquit, ne pereamus. Tunc omnes pariter è sartagine exilientes, in ardentes prunas deciderunt. Maiori igitur dolore affecti, damnabant consilium quod ceperant, dicentes: Quanto atrociori nunc morte perimus?

Hæc nos admonet fabula, ut ita præsentia uitemus pericula, ne incidamus in grauiora.

De quadrupedibus societatem aduersus aues cum piscibus ineuntibus. XXI.

QVadrupedes cum bellum sibi ab auibus esset indictum, cum piscibus fœdus inierunt, ut eorum auxilio se ab auium furore tuerentur. Cum autem optata expectarent auxilia, pisces negãt per terram ad eos accedere posse.

Hæc nos admonet fabula, ne eos nobis socios faciamus, qui cum opus sit, nobis adesse non possint.

De legato auaro, tubicines decipiente. XXII.

Qui

Quidam auarus pro patria legatus, in aliam urbem profectus erat. Cui tubicines præsto affuerunt ut illius aures tubarum clangore, loculos autem suos pecunia, implerent. Quibus ille renũciare iubet, non esse nunc locum cantibus, se in summo luctu & mœrore constitutum, matrem enim suam obisse. Tubicines autem spe frustrati, & mœsti abeunt. Amicus quidam legati audiens luctum, ad eum uisendum consolandúmq; accedit, interrogatq;, quàm diu mater eius obisset. Quadraginta iam anni sunt, inquit. Tunc amicus intellecta legati stropha, in risum effusus est.

Hæc fabula ad auaros facit, qui omni arte student conseruare pecuniam.

De uiro, qui ad cardinalem nuper creatum gratulandi gratia accessit. XXIII.

Vir quidam facetus admodum & urbanus, audiens amicum suum ad Cardinalatus dignitatem assumptum, ad eum gratulandi gratia accesit. Qui honore tumidus, amicum ueterem agnoscere dissimulans, quisnam esset interrogabat. Cui ille, ut erat ad iocos promptus, Miseresco, inquit, tibi, cæterisq; qui ad huiusmodi honores perueniunt. Quamprimum enim dignitates eiusmodi estis assecuti, uisum, auditumq; & cæteros sensus ita amittitis, ut pristinos amicos amplius non dignoscatis.

Hæc fabula eos notat, qui in altum sublati, ueteres despiciunt amicitias.

De iuuene senis curuitatem irridente. XXIIII.

Iuuenis quidam conspicatus senem in arcus tensi similitudinem curuum, interrogauit an sibi arcum uellet uende-

re? Cui ille: Et quid est tibi opus pecuniam amittere? Si enim ad meam peueneris ætatem, absq; pecunia arcum tibi natura concedet.

Hæc fabula indicat minime irridenda uitia senilis ætatis, quam nemo uiuendo effugere potest.

De sene puellam in uxorem accipiente. XXV.

VIr quidam imprudens exacto septuagesimo uitæ anno, puellam duxerat in uxorem, qui ad id tempus in cœlibatu permansisset. Cui, cum debitum soluere non posset, dicere solebat: Quàm male uitam meam disposui. Iuueni enim mihi uxor deerat, nunc autem senex desum uxori.

Hæc fabula innuit omnia suo tempore peragenda.

De aquila & pica. XXVI.

PIca aquilam rogabat, ut se inter suos familiares & domesticos acciperet, quando id mereretur cum corporis pulchritudine, tum ad mandata peragenda linguæ uolubilitate. Cui aquila: Hoc facerem respondit, ni uererer, ne quæ intra tegulam fiunt tua loquacitate cuncta efferres.

Hæc fabula monet linguaces & garrulos domi non habendos.

De turdo amicitiam cum hirundine ineunte. XXVII.

GLoriabatur turdus se amicitiam contraxisse cum hirundine. Cui mater: Stultus es fili, inquit, si credis cũ ea posse conuiuere, cum uterq; uestrum diuersa soleat appetere loca. Tu enim frigidis, illa tepidis delectatur locis.

Hac monemur fabula, ne eos nobis facianus amicos, quorum uita à nostra dissentit.

De

De rustico & mure. XXVIII.

RVsticus quidam erat admodum pauper, sed adeo facetus, ut ne calamitatis quidem tempore natiui lepôris obliuisceretur. Is cum uillam suam casu, igne iniecto ita ardentem uideret, ut aliquo modo ignem extinguere posse diffideret, mœstus spectabat incendium. Interim cernit murem quendam, qui uilla egressus, periculum quàm ocyssime fugiebat. Oblitus damnorum rusticus, accurrit, & murem corripiens, illum in medium iecit incendium, dicens: Ingratum animal, tempore felicitatis mecum habitasti, nunc quia fortuna mutata est, uillam meam deseruisti.

Fabula indicat eos non esse ueros amicos, qui arridente fortuna, à latere tuo non discedunt: turbata autem, præcipiti abeunt cursu.

De eremita uirgine ægrotante. XXIX.

INsitum est à natura omni animantium generi, ut rei Venereæ libidine incitentur, à qua si qui homines, qui corpore albo rariores sunt, se abstinere uolunt, sæpe in graues morbos incidere solent. Quidam igitur eremita, ab ipsa adolescentia ita titillationes carnis euicerat, ut usq; ad quintum et uigesimum ætatis annum uirgo permaneret. Cum autem in eam ætatẽ grauissime ægrotare cœpisset, medici nullũ aliud salutis eius remediũ se inuenire dicebant, nisi ut cũ aliqua muliere coiret. Diu eremita recusauit, mori se potius uelle dicẽs quàm uirginitatem, rem tam præclaram, & deo maxime gratam amittere. Assueti enim uirtutibus, ægre illas à se discedere patiuntur. Victus tandem precibus & cupiditate uitæ, qua nihil homini sanæ mentis dulcius est, adductæ sibi mulieris infusus gremio, placidum petiuit per membra soporem. Euerrectus autem uehementer angebatur, & tantam uim

lachrymarum effundebat, ut omnes qui aderant, illius misererentur. Quisq; igitur eũ solari, & ut bono esset animo hortari, quoniam clementissimus pater ei ignosceret, quia non uoluptatis, sed recuperandæ sanitatis causa opus tale patrasset. At ego, inquit, istud non fleo, sed quod tantam dulcedinem citius expertus non sum.

Hæc indicat fabula, humanam naturam adeo peccatorum illecebris delectari, ut uitiorum uoluptatem facile uirtutum amaritudini anteponat.

De diuite quodam & seruo. XXX.

VIr erat diues, seruum habens tardi ingenij, quem regem stultorum solebat nuncupare. Ille his uerbis sæpius irritatus, statuit hero par referre. Semel enim in herum conuersus, utinam, inquit, rex stultorum essem, in toto enim terrarum orbe, nullũ meo latius esset imperium, & tu quoq; meo subesses imperio.

Fabula indicat omnia plena esse stultorum.

De uidua uirum petente. XXXI.

VIdua quædam diues à uicina petebat, ut maritum sibi reperiret, quẽ non coitus gratia, qui ingratus admodum sibi erat, sed ne bona sua dilapidarentur, exoptare se dicebat. Mulier sagax & uiduæ uersutias intelligens, se inquisituram pollicetur. Paucis post diebus uiduam conueniens, reperi, inquit, tibi uirum ex animi tui sententia. Est enim uir prudens, & ad res gerendas natus, & genitalibus caret, quæ tibi cordi non sunt. Cui uidua, Abi, inquit, in malam rem cum isto marito tuo tam illepido, & si enim coitus appetens non sum, uolo tamen habeat quod nos reconciliet, si quando cœperimus esse discordes.

Hæc fabula indicat nullum matrimonium felix esse, si clauus

clauus defuerit, qui uirum & mulierē arctissime constringit.

De canibus urbanis uillaticum insequentibus. XXXII.

CAnes complures urbani quendam uillaticum præcipitii insequebantur cursu, quandiu ille fugit, nec repugnare ausus est. At ubi ad insequētes cōuersus substitit, et dentes ipse quoq; ostendere cœpit, omnes pariter subsliterunt, nec aliquis urbanorum illi propinquare audebat. Tunc imperator exercitus, qui forte ibi aderat, ad suos conuersus milites; Commilitones inquit, hoc spectaculum nos admonet, ne fugiamus; cum præsentiora fugientibus quàm repugnantibus uideamus imminere pericula.

De anu dæmonem accusante. XXXIII.

VOlunt homines, ut plurimum, quando sua culpa aliquid sibi acciderit aduersi, in fortunam uel in dæmonem culpam conferre, ut se crimine exuant, adeo omnes sibi indulgent. Hoc dæmon ægre ferens, cum uideret anum quandam arborem ascendentem, ex qua illam ruiturā; & in se culpam collaturam præuiderat, accitis testibus, dixit: Videte anum illam absq; meo consilio arborem ascendentem, unde eam casuram esse prospicio. Estote mihi testes, me ei non suasisse, ut soleata illuc ascenderet. Mox anus cecidit, & cum interrogaretur cur soleata arborem ascendisset, dæmon, inquit, me impulit. Tunc dæmon adductis testibus, probauit id ab anu absq; suo factum esse consilio.

Fabula indicat homines minime uenia dignos, qui cum libere pèccent, fortunam uel dæmonem accusant.

De testudine & ranis. XXXIIII.

TEstudo cōspicata ranas, quæ in eodē stagno pascebantur, adeo leues agiles q;, ut facile quò libet, prosilirēt,

& longissime saltarent, naturam accusabat, quod se tardum animal & maximo impeditum onere procreasset: ut neq; facile se mouere posset, & magna assiduo mole premeretur. At ubi uidit ranas anguillarum escam fieri, & cuiuscunq; uel leuissimo ictui obnoxias, aliquãtulum recreata dicebat: Quanto melius est onus, quo ad omnes ictus munita sum, ferre, quàm tot mortis subire discrimina.

Hæc fabula indicat, ne ægre feramus dona naturæ, quæ maiori nobis commodo sæpe sunt, quàm nos intelligere ualeamus.

De gliribus quercum eruere uolentibus. XXXV.

GLires quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinauerunt, quo paratiorem haberent cibum, ne uictus gratia toties ascendere & descendere cogerentur. Sed quidam ex eis, qui ætate & usu rerum ac prudentia cæteros longe anteibat, eos absterruit, dicens: Si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis nobis ac posteris nostris alimenta præbebit?

Fabula hæc monet, uirum prudentem debere nõ modo præsentia intueri, uerumetiam futura longè prospicere.

De cane & hero. XXXVI.

CAnem quidam habens, quo magis ab illo diligeretur, semper eum suis pascebat manibus, ligatumq; soluebat. Ligari autem & uerberari iubebat à seruo, ut beneficia à se, maleficia autem à seruo in illum uiderentur esse collata. Aegre autem ferens canis se assidue ligari uerberariq; ausugit: & cum increpareretur à domino ut ingratus & tantorum beneficiorum immemor, qui se fugisset, à quo semper dilectus pastusq; fuisset, ligatus autem uerberatusq; nunquã, respondit:

respondit: quod seruus tuo iussu facit, à te factum puto.

Hæc fabula indicat eos malefactores habendos, qui maleficiorum causa fuere.

De auibus scarabeos timentibus. XXXVII.

MAgnus timor aues incesserat, ne scarabei arcu pilari eas occiderent, à quibus magnam pilarum uim in sterquilinio summo labore fabricatam audierunt. Tunc passer, nolite, inquit, expauescere. Quomodo enim pilas in nos per aera uolantes iacere poterunt, cum eas per terram magno molimine uix trahant?

Hæc fabula admonet, ne hostium opes extimescamus, quibus deesse uidemus ingenium.

De urso & apibus. XXXVIII.

VRsus ictus ab ape, tanta ira percitus est, ut aluearia in quibus apes mellificauerant, tota unguibus discerperet. Tunc apes uniuersæ cũ domos suas dirui, cibaria auferri, filios necari uiderẽt, facto impetu aculeis ursum inuadentes, penè necauere. Qui ex earũ manibus uix elapsus, secum dicebat: Quanto melius erat, apis unius aculeum tolerare, quàm tot in me hostes mea iracundia concitare.

Hæc fabula innuit longè melius interdum esse, iniuriam unius sustinere, quàm dum unum punire uolumus, multos nobis inimicos comparare.

De aucupe & fringilla. XXXIX.

AVceps tetenderat uolucribus retia, largamq; illis in aera effuderat escam, pascentes tamen aues non capiebat, quia sibi uidebantur paucæ, quibus pastis ac auolantibus, aliæ pastum aduenient, quas quoq; propter paucitatem capere neglexit. Hoc per totum diem ordine seruato, ac alijs aduenientibus, alijs abeuntibus, illo semper maiorem prædam

expectante, tandem adueſperaſcere cœperat: tunc auceps amiſſa ſpe multas capiendi, cum iam tempus eſſet quieſcendi, attrahens retia, unam tantum fringillam, quæ infelix in aere remanſerat, cepit.

Hæc fabula indicat, qui omnia comprehendere uolunt, ſæpe pauca uix capere poſſe.

De milite & equo. XL.

Miles equum habens optimum, emit alium nequaquam illi bonitate parem, quẽ multo diligentius quàm priorem nutricabat, tunc priori ſic ait, Cur me dominus quàm te impẽſius curat, cum tibi neq; pulchritudine, neq; robore, neq; uelocitate comparandus ſim? Cui ille: Eſt hæc, inquit, hominum natura, ut ſemper in nouos hoſpites benigniores ſint.

Hæc fabula indicat hominum amentiam, qui noua, etiam ſi deteriora ſint, ſolent ueteribus anteponere.

De ſue & cane. XLI.

Sus irridebat canem odoriſequum, qui domino murmure & cauda adularetur, à quo ad artem aucupatoriam multis uerberibus, auriumq; uellicationibus fuerat inſtructus, cui canis: Neſcis, inquit, inſane, neſcis quæ ex uerberibus illis conſecutus, per ea enim ſuauiſſimis perdicum coturnicumq; carnibus ueſcor.

Hæc fabula nos monet, ne iniquo feramus animo præceptorum uerbera, quæ multorum bonorum cauſa eſſe conſueuere.

De trabe boum pigritiam increpante. XLII.

Trabs quæ curru uehebatur, boues ut lentulos increpabat, dicens: Currite pigri, onus enim leue portatis. Cui boues: Irrides nos, reſponderũt, ignara quæ te pœna maneat. Onus hoc nos cito deponemus, tuum autem quoad rumpa-

ris,

ris, sustinere cogeris. Indoluit trabs, nec amplius boues conuitijs lacessere ausa est.

Hæc fabula quemlibet monet, ne alium insultet calamitatibus, cum ipse possit maioribus subiacere.

De carduele & puero. XLIII.

CArduelis auis interrogata à puero, quæ in delicijs habita, & suauibus & largis cibis nutrita fuerat, cur caua egressa regredi nollet, Vt meo, inquit, me arbitratu, non tuo pascere possim.

Hæc fabula indicat uitæ libertatem cunctis delicijs anteponendam.

De scurra & episcopo. XLIIII

SCurra quidam Calendis Ianuarij ad episcopum quendam diuitem quidem, sed auarum, accedens, numisma aureum strenæ nomine petijt. Antistes insanire hominem dixit, qui crederet tantam pecuniam sibi in strenam dari. Tunc scurra nummum argenteum efflagitare cœpit. Sed cum ille hoc quoq; nimium sibi uideri diceret, æreum quadrantem, ut saltem sibi traderet, orabat. Sed cum ne hũc quoq; posset ab episcopo extorquere, Reuerende, inquit, pater, saltem benedictione tua me pro strena imperti. Tunc episcopus, flecte, inquit, genua fili, ut te benedicam. At ego, inquit scurra, benedictionem istam tuam tam uilem nolo. Si enim nummum æreum ualeret, eam mihi nunquam profecto concederes.

Hæc fabula contra eos episcopos & sacerdotes conficta est, qui diuitias & opes pluris faciunt, quàm cuncta ecclesiæ sacra atq; mysteria.

De upupa indigne honorata. XLV.

INuitatæ ferè omnes aues ad aquilæ nuptias, indigne ferebant upupam cæteris præferri, quia corona insignis esset,

& uersicoloribus pennis ornata, cum semper inter stercora & sordes solita esset uolutari.

Hæc fabula stultitiam eorum arguit, qui in hominibus honorandis potius uestium nitorem, præstantiamq; formæ, quàm uirtutes mores q; soleant attendere.

De sacerdote & piris. XLVI.

SAcerdos quidam gulosus extra patriam ad nuptias profi ciscens, ad quas fuerat inuitatus, reperit in itinere pirorum aceruum, quorum ne unum quidem attigit, quamuis magna affectus fame. Quin potius ea ludibrio habens lotio conspersit, indignabatur enim huiusmodi cibos sibi in itinere offerri, qui ad lautas accedebat epulas. Sed cũ in itinere torrẽtem quendam ita imbribus auctum offendisset, ut sine uitæ periculo eum transire non posset, domum redire constituit. Reuertens autem ieiunus, tanta est oppressus fame, ut nisi pira illa, quæ urina conspersérat comessét, cum aliud non inueniret, extingueretur.

Hæc fabula monet nihil esse contemnendum, cum nihil sit tam uile & abiectum, quod aliquando usui esse nõ possit.

De mulo & equo. XLVII.

MVlus conspiciens equum aureo freno ephippioq; insignem, & purpureis opertum phaleris, rumpebatur inuidia, illum beatum reputans, qui continue optimis uescereturcibis, & decoro amiciretur ornatu: se autem præ illo infelicem, qui clitellis male dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur. At ubi uidit equum pugna redeũtem, multis affectum uulneribus, præ illius calamitate se felicem appellabat, longe melius esse dicens, quotidiano labore durum uictũ quæritare, & turpiter uestiri, quàm post optimos et delicatos cibos & tantos ornatus, mortis adire discrimina.

Hæc

Hæc fabula monet, regibus & principibus minime inuidendum, quia opibus & diuitijs abundent, ut cum uitam eorum longe pluribus periculis, quàm pauperum uideamus esse subiectam.

De porco & equo. XLVIII.

Porcus conspiciens equum bellatorem, qui cataphractus ad pugnam prodibat: Stulte, inquit, quò properas? in pugna enim fortasse morieris. Cui equus: At tibi inter lutum sordesq; impinguato, quamuis nihil dignum laude gesseris, cultellus adimet uitam, mortem uero meam comitabitur gloria.

Hæc fabula innuit honestius esse rebus præclare gestis occumbere, quàm uitam turpiter actam protrahere.

De coriario emente pellem ursi à uenatore nondum capti. XLIX.

Coriarius ad uenatorem accedens, emit ab eo pellem ursi, pecuniamq; pro ea protulit. Ille sibi in præsentia pellem ursi non esse, cæterum postridie uenatum profecturum, ursoq; interfecto, pellem illius ei se daturũ pollicetur. Coriarius animi gratia cum uenatore in syluam profectus, altissimam arborem ascendit, ut inde ursi uenatorisq; certamen prospiceret. Venator intrepidus ad antrum ubi ursus latebat, profectus, immissis canibus, illum exire compulit: qui euitato uenatoris ictu, eum prostrauit humi. Tum uenator sciens hanc feram in cadauera non sæuire, anhelitu retento, se mortuum simulabat. Ursus naribus admotis olfaciens, cum illum nec naso, nec corde spirantem deprehenderet, abscessit. Coriarius cum feram abesse prospiceret, ac nihil amplius adesse periculi, ex arbore se deducens, & ad ue-

natorem, qui nondum surgere audebat, accedens, illum ut surgeret monebat, interrogauit deinde, quid ad aurem ei ursus locutus esset. Cui uenator, monuit me, inquit, ne deinceps ursi pellem uendere uelim, nisi eum prius ceperim.

Hæc fabula indicat, incerta pro certis non habenda.

De eremita & milite. L.

ERemita quidam uir sanctissimæ uitæ militem hortabatur, ut relicta seculi militia, quam absq; dei offensa & animæ discrimine pauci exercent, tandem se corporis traderet quieti, & animæ consuleret saluti. Cui miles, faciam inquit, quod mones pater. Verum enim est, quod hoc tempore milites neq; stipendia exigere ualeant, licet exigua sint, neq; prædari possint.

Fabula indicat multos uitijs renunciare, quia amplius exercere non possunt.

De uiro & uxore bigamis. LI.

VIr quidam defuncta uxore, quam ualde dilexerat, duxit alteram, & ipsam uiduam, quæ assidue ei prioris mariti uirtutes, fortiaq; facinora obijciebat. Cui ut par referret, ipse quoq; defunctæ uxoris mores probatissimos pudicitiamq; insignem referebat. Quadam autem die uiro irata, pauperi eleemosynam petenti, partem caponis quem in cœnam utrisq; coxerat, dedit dicens: Do tibi hoc pro anima prioris uiri. Quod audiens maritus accersito paupere, reliquum caponis dedit, dicens: Et ego quoque do tibi hoc pro anima uxoris meæ defunctæ. Sic illi dum alter alteri nocere cupiunt, quid cœnarent tandem non habuerunt.

Hæc fabula monet, non esse contra eos pugnandum, qui se possunt optime uindicare.

De leone & mure. LII.

Leo

LEo laqueo captus in sylua, cum se ita irretitum uideret, ut nullis uiribus se inde posse explicare consideret, murem rogauit, ut abroso laqueo eum liberaret, promittens tanti beneficij se non immemorem futurum. Quod cum mus prompte fecisset, leonem rogauit ut filiam eius sibi traderet in uxorem. Nec abnuit leo, ut benefactori suo rem gratam faceret. Noua autem nupta ad uirum ueniens, cum eum non uideret, casu illum pede pressit, atq; contriuit.

Hæc indicat fabula, matrimonia & cætera consortia improbanda, quæ ab imparibus contrahuntur.

De ulmo & silere. LIII.

VLmus in ripa fluminis nata, siler sibi proximum irridebat, ut debile & inualidum, quod ad omnem uel leuissimum undarum impetū flecteretur, suam autem firmitatem & robur magnificis extollebat uerbis, quòd multos annos assiduos amnis impetus inconcussa pertulerat. Semel autem maxima undarum uiolentia ulmus perfracta, trahebatur ab aquis. Cui siler ridens inquit: Cur me deseris uicina? ubi nunc est fortitudo tua?

Fabula significat sapientiores esse, qui potentioribus se cedunt, quàm qui resistere uolentes, turpiter superantur.

De cera duritiem appetente. LIIII.

CEra ingemiscebat se mollem et cuicunq; leuissimo ictu penetrabilem procreatam. Videns autem lateres ex luto multo molliori factos, in tantam duritiem ignis calore peruenisse, ut multa perdurarent secula, se iecit in ignem, ut eandem duritiem consequeretur. Sed statim igne liquefacta, consumpta est.

Hac admonemur fabula, ne appetamus quod est nobis natura denegatum.

De agricola militiam & mercaturam affectante. LV.

AGricola quidam ægere ferebat se assidue terram uoluere, nec perpetuis laboribus ad magnas diuitias peruenire, cum nonnullos uideret milites, qui actis prælijs ita rem auxerant, ut bene induti incederent, & lautis epulis nutriti, beatam agerent uitam. Venditis igitur ouibus, capris ac bobus, equos emit & arma, & in militiam profectus est: ubi cum ab imperatore suo male pugnatum esset, non solum quæ habebat perdidit, sed etiam pluribus uulneribus affectus est. Quare damnata militia, mercaturam exercere statuit, ut ubi maius lucrum & minorem laborem æstimabat. Prædijs igitur uenditis, cum nauem mercibus impleuisset, nauigare cœperat, sed cum in alto esset, tempestate subito coorta, nauis submersa est, & ipse cũ cæteris, qui in ea erant, ad unum omnes periere.

Hæc fabula monet, quemlibet sua arte debere esse contentum, cum ubiq; sit parata miseria.

De asino & scurra. LVI.

ASinus indigne ferens scurram quendam honorari, & pulchris uestibus amiciri, quia magnos uẽtris edebat sonos, ad magistratus accessit, petens ne se minus quàm scurram honorare uellent, & cum magistratus admirantes eum interrogarent, cur se ita honore dignum duceret, inquit, quia maiores quàm scurra crepitus uentris emitto, eosq; absque fœtore.

Hæc fabula eos arguit, qui in rebus leuissimis suas pecunias profundunt.

De amne suum fontem conuitijs lacessente. LVII.

Amnis

AMnis quidam suum conuitijs fontem lacessebat, ut in certem, quòd immobilis staret, nec ullos haberet pisces, se autem plurimum commendabat, quòd optimos crearet pisces, & per ualles blando murmure serperet. Indignatus fons in amnem uelut ingratum, undas repressit. Tunc amnis & piscibus & dulci sono priuatus, euanuit.

Haec fabula eos notat, qui bona quae agunt, sibi arrogant, non deo attribuunt, à quo largo fonte nostra bona procedunt.

De uiro maligno & dæmone. LVIII.

VIr malignus cum plurima perpetrasset scelera, & saepius captus, & carcere conclusus, arctissima & peruigili custodia teneretur, dæmonis auxilium implorabat, qui saepenumero illi effuit, & è multis eum periculis liberauit. Tandem iterum deprehenso & solitum auxilium imploranti, dæmon magnum calceorum pertusorum fascem super humeros habens apparuit, dicens: Amice, amplius tibi auxilio esse non possum, tot enim loca pro te liberando hactenus peragraui, ut hos omnes calceos contriuerim. Nulla mihi superest pecunia, qua alios ualeam comparare. Quare pereundum est tibi.

Haec admonet fabula, ne existimemus nostra semper impunita fore peccata.

De auibus plures reges eligere uolentibus. LIX.

AVes consultabant de pluribus regibus eligendis, cum aquila tantos uolucrum greges sola regere nõ posset, feciss entq; uoto satis, nisi cornicis monitu à tali consilio desistissent, quae cum causam rogaretur cur non plures duce-

ret reges eligendos, quia difficilius, inquit, plures quàm unus saccus implentur.

Hæc fabula docet longe melius ab uno, quàm à multis principibus gubernari.

De muliere, quæ pro uiro se mori uelle dicebat. LX.

MAtrona quædam admodum pudica & uiri amantissima, ægre ferebat maritum aduersa ualetudine detineri. Lamentabatur, ingemiscebat, & ut suum in uirum amorem testaretur, rogabat mortem ut si maritum sibi esset ereptura, se potius quàm illum uellet occidere. Inter hæc uerba mortem cernit horribili aspectu uenientm, cuius timore perterrita, & iam sui uoti pœnitẽs, Nõ sum ego, inquit, quem petis, iacet ibi in lecto quem occisura uenisti.

Hæc fabula indicat, neminem esse adeò amantem amici, qui non malit sibi bene esse quàm alteri.

De adolescente in funere matris cantente. LXI.

VIr quidam defunctam uxorem quæ ad sepulchrum eferebatur, lachrymis & fletibus prosequebatur, filius uero eius canebat: qui cum à patre increpareturut amens & insanus, qui in matris funere cantaret, cum unà secum mœstus esse & flere deberet, inquit: Pater mi, si sacerdotes ut canerent conduxisti, cur mihi irascris gratis concinenti? Cui pater: Non tuum, inquit, & sacerdotum idem officium.

Fabula indicat, non omnia omnibus decora.

De uiro zelotypo, qui uxorem dederat custodiendam. LXII.

VIr zelotypus uxorem quam parum pudice uiuere compererat, cuidam amico cui plurimum fidebat, dederat

ut custodiendam, ingentem pollicitus pecuniam, si eam ita diligenter obseruaret, ut nullo modo coniugalem uiolaret copulam. At ille ubi aliquot dies expertus, custodiam hanc minimis difficilem & ingenium suum uersutia mulieris uinci posse comperisset, ad maritum accedens, dixit se amplius nolle hanc tam duram gerere prouinciam, quandoquidem ne Argus quidem, qui totus oculeus fuit, mulierem inuitam posset custodire. Addidit praeterea, si necesse sit, malle se anno integro saccum plenum pulicibus quotidie in pratum deferre, solutoq; sacco, eos inter herbas pascere, uespereq; facto, omnes domum reducere, quàm una die impudicam mulierem seruare.

Haec fabula indicat nullos custodes esse ita diligentes, qui impudicas mulieres ualeant custodire.

De uiro clysteria recusante. LXIII.

VIr quidam natione Germanus, diues admodum, aegrotabat, ad quem curandum plures accesserant medici (ad mel enim cateruatim conuolant muscae) quorum unus inter cetera dicebat, opus esse clysteribus, si uellet conualescere. Quod cum uir, huiusmodi insuetus medicinae, audiret, furore percitus, medicos domo eiici iubet, dicens eos esse insanos, qui cum caput sibi doleret, podici uellent mederi.

Haec fabula innuit, omnia, etiam salutaria, insuetis & inexpertis aspera & obsutura uideri.

De asino aegrotante & lupis uisitantibus. LXIIII.

ASinus aegrotabat, famaq; exierat eum cito moriturum, ad eum igitur uisendum cum lupi canesq; uenissent, peterentq; à filio, quomodo pater eius se haberet, ille per ostiij rimulam respondit; Melius quàm uelletis.

Hæc indicat fabula, quod multi fingũt moleſte ferre mortem aliorum, quos tamen cupiunt celeriter interire.

Quod nuci, aſino, & mulieri proſunt uerbera. LXVI.

MVlier quædam interrogebat nucem ſecus uiam natam, quæ à prætereunte populo ſaxis impetebatur, quare eſſet ita amens, ut quo pluribus maioribuśq; uerberibus cæderetur, eo plures præſtantioresq; fructus procrearet. Cui iuglans, es ne, inquit, prouerbij immemor ita dicentis?

Nux, aſinus, mulier, ſimili ſunt lege ligati.
Hæc tria nil recte faciunt, ſi uerbera ceſſent.

Hæc fabula innuit, ſæpe homines proprijs iaculis ſe ſolere confodere.

De aſino laborum finem non inueniente. LXVI.

ASinus hyberno tempore plurimum angebatur, quòd nimio afficeretur frigore, & durum palearum haberet uictum, quare uernam temperiem & teneras herbas optabat. Sed cum uer aduenisſet, cogeretuŕq; à domino, qui figulus erat, argillam in aream & ligna ad fornacem, indéq; lateres, imbrices, tegulas ad diuerſa loca deferre, pertæſus ueris, in quo tot labores tolerabat, æſtatem omnibus uotis expetebat, ut dominus meſſe impeditus, eum quieſcere pateretur. Sed tunc quoq; cum meſsis in aream, & inde domum triticum ferre compelleretur, nec quieti locus ſibi eſſet, autumnum ſaltem laborum finem fore ſperabat. Sed ubi ne tunc quidem malorum terminum adeſſe cernebat, cum quotidie uinum, poma, ligna portanda eſſent, rurſus hyemis niues & glaciem efflagitabat, ut tunc ſaltem aliqua ſibi requies

quies à tantis laboribus concederetur.

Hæc fabula indicat, nulla esse præsentis uitæ tempora, quæ non perpetuis sint subiecta laboribus.

De mure, qui cum fele amicitiam contrahere uolebat. LXVII.

MVres complures in cauo parietis commorantes, contemplabantur felem, quæ in tabulato, capite demisso & tristi uultu recumbebat. Tunc unus ex his, Hoc animal, inquit, benignũ admodum & mite uidetur. Vultu enim ipso sanctimoniam quandam præfert, uolo ipsum alloqui, cum eo indissolubilem nectere amicitiam. Quæ cum dixisset, & propius accessisset, à fele captus & laceratus est. Tunc cæteri hoc uidentes, secum dicebant: Non est profecto, non est uultui temere credendum.

Hæc fabula innuit, non ex uultu, sed ex operibus homines iudicandos, cum sub ouina pelle sæpe atroces lupi delitescant.

De asino, qui hero ingrato seruiebat. LXVIII.

ASinus qui uiro cuidam ingrato multos annos inoffenso pede seruierat, semel, ut fit, dum sarcina pressus esset graui, & salebrosa incedit uia, sub onere ceciderat. Tunc dominus implacabilis multis uerberibus surgere cõpellebat, pigrum animal & ignauum nuncupans. At ille miser inter uerbera hæc secum dicebat: Infelix ego, quàm ingratum sortitus sum herum. Nam quamuis ei multo tempore sine offensa seruierim, tamen non hoc unum delictum tot meis pristinis beneficijs compensat.

Hæc fabula in eos conficta est, qui beneficiorum sibi collatorum immemores, etiam minimam benefactoris sui in se

Bayerische Staatsbibliothek München

offensam, atroci pœna prosequuntur.

De lupo suadenti histrici, ut tela deponeret. LXIX.

LVpus esuriens in histricem intenderat animum, quem tamen quia sagittis undiq; munitus erat, inuadere non audebat. Excogitata autem eum perdendi astutia, illi suadere cœpit, pauco tempore tantum telorum onus tergore portaret, quandoquidem nec aliquid sagittarij, nisi cum prælij tempus instaret, portarent. Cui histrix, aduersus lupum, inquit, semper præliandi tempus esse credendum est.

Hæc fabula innuit, uirum sapientem oportere aduersus inimicorum & hostium fraudes semper esse munitum.

De mure liberante miluum. LXX.

MVs conspicatus miluum laqueo aucupis implicitum, misertus est auis, quamuis sibi inimicæ, abrosis; dente uinculis, euolandi ei uiam fecit. Miluus tanti immemor beneficij, ubi se solutum uidit, murem nil tale suspicantem corripiens, unguibus & rostro lacerauit.

Fabula indicat, malignos uiros huiusmodi gratias suis benefactoribus solere rependere.

De cochlea petente ab Ioue, ut suam domum secum ferre posset. LXXI.

CVm Iupiter ab exordio mũdi singulis animalibus munera quæ petissent elargiretur, cochlea ab eo petijt, ut domum suam posset circumferre. Interrogata à Ioue, quare ab eo tale munus exposceret, quod illi graue & molestum futurũ erat: Malo, inquit, tã graue onus perpetuo ferre, quàm cum mihi libuerit, malum uicinum non posse uitare.

Fabula indicat, malorum uicinitatem omni incommodo fugiendam.

De

De erinacio, uiperam hospitem ejiciente. LXXII.

ERinaceus hyemem aduentare præsentiens, blande uiperam rogauit, ut in propria illius cauerna aduersus uim frigoris locum sibi concederet. Quod cum illa feciſſet, erinacius huc atq; illuc se prouoluens, spinarum acumine uiperam pungebat, & uehementi dolore torquebat. Illa male secum actum uidens, quando erinaceum suscepit hospitio, blandis eum uerbis, ut exiret, orabat: quandoquidem locus ambobus esset angustus. Cui erinacius: exeat, inquit, qui hic manere non potest: quare uipera sentiens sibi locum ibi non esse, illi cessit hospitio.

Fabula indicat, eos in consortia non admittendos, qui noſ possunt eijcere.

De lepore seſe uulpi præferente ob pedum uelocitatem. LXXIII.

LEpus seſe dignũ reputabat, qui uulpi præferretur: quoniam longe illum pedum pernicitate superabat. Tunc uulpes: At ego, inquit, ingenium sum sortita præstãtius, quo sæpius quàm tu pernicitate tua canes eludo.

Hæc indicat fabula, corporis uelocitatem & uires ab ingenio longe superari.

De sene ob impotentiam libidinem carnis relinquente. LXXIIII.

VIr quidam sanctimonia præditus singulari, senẽ quendam admonebat ut tandem uitium libidinis dimitteret, cui uehementer insudârat. Cui senex, obtemperabo, inquit, pater sancte, sanctiſsimis optimisq; admonitionibus

tuis. Nam usum Veneris admodum mihi obesse sentio, et uirga amplius non arrigitur.

Fabula indicat multos non amore uirtutis & dei, sed timore pœnæ & impotentia à consuetis uitijs solere desistere.

De agricola quodam & poeta. LXXV.

AGricola quidam ad poetam accedens, cuius agros colebat, cum eum inter libros solum offendisset, interrogauit eum quo pacto ita solus uiuere posset. Cui ille: Solus, inquit, tantum esse cœpi, postquam te huc contuli.

Hæc indicat fabula, eruditos uiros, qui doctissimorum uirorum turba continue stipantur, tunc solos esse, cum inter illiteratos homines fuerint.

De lupo ouis pelle induto, qui gregem deuorabat. LXXVI.

LVpus ouis pelle indutus, ouium se immiscuit gregi, quotidiéq; aliquam ex eis occidebat. Quod cum pastor animaduertisset, illum in altissima arbore suspendit. Interrogantibus autem cæteris pastoribus, cur ouem suspẽdisset, aiebat: Pellis quidem, ut uidetis, est ouis, opera autem erant lupi.

Hæc indicat fabula, homines non ex habitu, sed ex operibus iudicandos, quoniam multi sub uestimentis ouium lupina faciunt opera.

De patre filium ad uirtutes frustra hortante. LXXVII.

PAter quidam filium uitijs deditum, multis hortabatur uerbis, ut derelicta uitiorũ uia, uirtutibus inuigilaret, quæ ei laudem & decus erant parituræ. Cui filius: Frustra inquit, pater ad hæc facienda hortaris: multos enim prædicatores (ut aiunt) audiui, qui longe te melius ad uirtutum horta-

hortabantur uiam, nunquam tamen eorum admonitionibus obsecutus sum.

Fabula indicat, uiros malignæ naturæ nullius hortatu à uitijs uelle desistere.

De cane oues domini sui occidente, à quo suspensus est. LXXVIII.

PAstor quidam cani oues suas dederat custodiendas, optimis illum pascens cibis. At ille sæpe aliquam ouem occidebat. Quod cum pastor animaduertisset, canem capiēs eum uolebat occidere. Cui canis: Quid me, inquit, perdere cupis? sum unus ex domesticis tuis, interfice potius lupum, qui continue tuo insidiatur ouili. Imò, inquit pastor, te quàm lupum morte dignum magis puto. Ille enim palàm se meum hostem profitetur: tu uero sub amicitiæ specie, quotidie meum imminuis gregem.

Hæc innuit fabula, longe magis puniendos qui sub amicitiæ specie nos lædunt, quàm qui aperte se nostros inimicos profitentur.

De ariete cum tauro pugnante. LXXIX.

ARies quidam inter lanigeros erat, tanta cornuum & capitis firmitate, ut cæteros arietes statim facileq; superaret. Quare cum nullum amplius arietem inueniret, qui occurrenti sibi auderet obsistere, crebris elatus uictorijs, taurum ausus est ad certamen prouocare. Sed primo congressu cum in taurinam frontem arietasset, tam atroci ictu repercussus est, ut ferè moriens hæc diceret: Stultus ego quid egi? Cur tam potentem aduersarium ausus sum lacessere, cui me imparem creauit natura?

Fabula indicat, cum potentioribus non esse decertandum.

De uidua & asino uiridi. LXXX.

VIdua quædam cœlibatum exosa, nubere cupiebat, sed non audebat, uerita uulgi irrisiones, qui maledictis eas solet incessere quæ ad secundas transeunt nuptias. Sed commater eius, quàm contemnendæ essent populi uoces, hac arte monstrauit. Iussit enim asinum album, quem uidua habebat, uiridi colore depingi, & per omnes urbis uicos circumduci. Quod dum fieret, tanta admiratio ab initio omnes inuaserat, ut non solum pueri, uerumetiam senes hac re insolita moti, asinum animi gratia comitarentur. Deinde cum huiusmodi animal quotidie per urbem duceretur, desierunt admirari. Itidem, inquit ad uiduam cõmater, eueniet tibi. Si enim uirum acceperis, per aliquot dies eris fabula uulgi, dein hic sermo conticescet.

Hæc fabula indicat, nullam rem esse tam dignam admiratione, quæ diuturnitate temporis non desinat esse miraculum.

De aquila filios cuniculi rapiente. LXXXI.

AQuila in altissima arbore nidulata, catulos cuniculi, qui longe inde pascebantur, in escam pullorum suorũ rapuerat, quam cuniculus blandis orabat uerbis, ut suos sibi filios restituere dignaretur. At illa eum, ut pusillũ & terrestre animal, & ad sibi nocendum impotens arbitrata, eos in conspectu matris unguibus dilacerare, & pullis suis epulandos apponere non dubitauit. Tunc cuniculus filiorum morte commotus, hanc iniuriam minime impunitam abire permisit. Arborem enim qui nidum sustinebat, radicitus effodit. Quæ leui impulsu uentorum procidens, pullos aquilæ adhuc implumes & inuolucres, in humum deiecit: qui à feris depasti, magnum doloris solatium cuniculo præbuerunt.

Hæc

Hæc fabula indicat, neminem, potentia sua fretum, imbecilliores debere despicere, cum aliquando infirmiores potentiorum iniurias ulciscantur.

De lupo pisce fluuij maris regnum affectante. LXXXII.

LVpus piscis erat in amne quodam, qui pulchritudine magnitudine ac robore cæteros eiusdem fluminis pisces excedebat. Vnde cuncti eum admirabantur, & tanquam regem præcipuo prosequebantur honore. Quare in superbiam elatus, maiorem principatum cœpit appetere. Relicto igitur amne, in quo multos annos regnauerat, ingressus est mare, ut eius regnum sibi uendicaret. Sed offendens delphinum miræ magnitudinis, qui in illo regnabat, ita ab illo infectatus est, ut ausugiēs uix amnis ostium ingrederetur, unde amplius non est ausus exire.

Hæc fabula nos monet, ut rebus nostris contenti, ea non appetamus, quæ nostris uiribus longe sunt maiora.

De oue pastori conuitiante. LXXXIII.

OVis conuitiabatur pastori, quòd non contentus lacte, quod in usum suum filiorumq; ab ea mulgebat, insuper illam uellere denudaret. Tunc pastor iratus, filiū eius trahebat ad mortem. Ecquid, inquit ouis, peius mihi facere potes? Vt te, inquit pastor, occidam, & lupis canibusq; proiiciam deuorandā? Siluit ouis, maiora adhuc mala formidās.

Hæc fabula indicat, non debere homines in deum excandescere, si diuitias, si filios ipsis permittat auferri, cum etiam maiora & uiuentibus & mortuis possit inferre supplicia.

De auriga & rota currus stridēte. LXXXIIII.

AVriga interrogabat currum, quare rota quæ erat deterior, strideret, cum cæteræ idem non facerent. Cui

currus, Aegroti, inquit, semper morosi & queruli esse consueuerunt.

Hæc indicat fabula, mala solere homines ad querimoniam semper impellere.

De uiro amicos experiri uolente. LXXXV.

VIr quidam dives admodum & liberalis, magnam habebat amicorum copiam, quos ad cœnam sæpissime inuitabat, ad quam libentissime accedebant. Volens autem experiri, an in laboribus & periculis sibi fideles essent, omnes pariter cõuocauit, dicens obortos sibi inimicos, ad quos perdendos ire statuerat. Quare correptis armis secum irent, ut illatas sibi ulciscerentur iniurias: tunc omnes præter duos sese excusare cœperunt. Cæteris igitur repudiatis, illos tantum duos in amicorum numero habuit, quos dein de singulari amore prosecutus est.

Hæc indicat fabula, aduersam fortunam amicitiæ experimentum esse quàm optimum.

De uulpe carnem leporis cani laudante. fabula LXXXVI.

VVlpes cum fugaretur à cane, & iamiam esset capienda, nec ullam aliam euadendi uiam inuenire se posse cognosceret: Quid me, inquit, ô canis, perdere cupis, cuius caro usui tibi esse non potest? Cape potius leporem illum (non procul enim lepus aberat) cuius carnem suauissimam mortales esse commemorant. Canis igitur motus consilio uulpis, omissa uulpe, leporem insecutus est, quem tamen ob incredibilem eius uelocitatem capere non potuit. Paucis post diebus lepus conueniens uulpem, uehementer eam accusabat (uerba enim eius audiuerat) quod se cani demonstrasset. Cui uulpes: Quid me accusas lepus, quæ te tantopere

topere laudauit? quid diceres si te uituperassem?

Hæc indicat fabula, multos mortales iub laudationis specie aliis perniciem machinari.

De lepore calliditatem, & uulpe celeritatem à Ioue petentibus. LXXXVII.

Lepus & uulpes à Ioue petebant, hæc, ut calliditati suæ pedum celeritatem, ille, ut uelocitati suæ calliditatem adiungeret. Quibus Iupiter ita respondit: Ab origine mundi è sinu nostro liberalissimo singulis animantibus sua munera sumus elargiti. Vni aũt omnia dedisse, aliorũ fuisset iniuria.

Hæc innuit fabula, deũ singulis sua munera ita esse æquali lance largitum, ut quisq; esse debeat sua sorte contentus.

De equo inculto sed ueloci, & cæteris eum irridentibus. LXXXVIII.

Equi complures ad Circenses ludos fuerant adducti pulcherrimis phaleris ornati, præter unum quem cæteri ut incultum, & ad huiusmodi certamen ineptum irridebant, nec unquam uictorem futurum opinabantur. Sed ubi currendi tempus aduenit, & dato tuba signo, cuncti è carceribus exiliere, tum demum innotuit, quanto hic paulò ante irrisus, cæteros uelocitate superaret. Omnibus enim aliis post se longo interuallo relictis, palmam assecutus est.

Fabula indicat non ex habitu, sed ex uirtute homines iudicandos.

De rustico per uocem hœdi ad iurisconsultum admisso. LXXXIX.

Rvstícus quidam graui lite implicitus, ad quendam iurisconsultum accesserat, ut eo patrono sese explicaret. At ille negocijs impeditus, renunciare iubet, se non posse nunc illi uacare, quare abiret aliàs rediturus. Rusticus qui

huic et ueteri, fidoq; amico plurimum fidebat, pluries rediēs, nunquā admissus est. Tandem hœdū adhuc lactantem et pinguē secū deferens, ante ædes iurisperiti stabat, & hœdum uel licans, illum balare cogebat. Ianitor qui ex præcepto heri dona portantes statim admittere solebat, audita hœdi uoce, ianuam ilico aperiens, hominem introire iubet. Tunc rusticus ad hœdum cōuersus, gratias inquit, ago hœdule mi, qui tam faciles mihi has effecisti fores.

Fabula indicat, nullas res tā duras difficilesq; esse, quas munera non aperiant.

De adolescente ex coitu infirmo, & lupo. XC.

ADolescens quidam uxorem duxerat, & ipsam quoq; adolescentulam, formosam admodum & libidinosam, cuius effrenæ libidini dū satisfacere cupit, ita lumbos exhausit, ut paucis diebus macilentus fieret, & mortuo magis quàm uiuo similis uideretur: non ingredi, non stare, non aliquod opus facere poterat, ut senex quidam apricatione gaudebat. Dum ergo in aprico stans loco, calore solis sese calefaceret, accidit ut uenatores qui lupum fuerant insectati, illac iter haberent, quos cum adolescens interrogaret, cur lupum non cœperint, ob incredibilem, inquiunt, illius uelocitatem illum assequi non potuimus. Tunc ait adolescens: Vxorem professo hic lupus habere non debet: si enim uxori iunctus esset, nunquam tanta pedum pernicitate polleret.

Hæc indicat fabula, neminē esse adeo robustum et fortē, quem nimius Veneris usus non infirmū & debilem reddat.

De sene iuuenem poma sibi surripientem saxis deiciente. XCI.

SEnex quidam iuuenem sibi poma surripientem, blandis orabat uerbis, ut ex arbore descenderet, nec res suas uel

let

let auferre. Sed cum incassum uerba funderet, iuuene eius ætatem ac uerba contemnente, non in uerbis tantum, inquit, uerumetiam in herbis audio esse uirtutem. Herbas igitur uellere, & in illum iacere cœpit. Quod iuuenis conspicatus, in uehementem risum effusus est, & senem delirare arbitrabatur, qui crederet eum ex arbore herbis posse depellere. Tũc senex omnia experiri cupiens: quando, inquit, uerborum & herbarum uires aduersus raptorem mearum rerum nullæ sunt, lapidibus agam, in quibus quoq; dicunt esse uirtutem: lapidesq;, quibus gremium impleuerat, in iuuenem iaciens, illum descendere & abire coegit.

Hæc fabula indicat, omnia prius sapienti tentãda, quàm ad armorum confugiatur auxilium.

De luscinia cantum accipitri pro uita pollicente. XCII.

LVscinia ab accipitre famelico comprehensa, dum modo se ab eo deuorandam intelligeret, blande eum rogabat, ut se dimitteret, pollicita pro tanto beneficio ingentem mercedem sese relaturam. Cum autem accipiter eam interrogaret, quid gratiæ sibi referre posset, Aures, inquit, tuas mellifluis cantibus demulcebo. At ego, inquit accipiter, malo mihi uentrem demulceas: sine tuis enim cantibus uiuere, sine cibo non possum.

Hæc fabula innuit, utilia iucundis anteponenda.

De leone porcum sibi socium eligente. XCIII.

LEo cum socios asciscere sibi uellet, multaq; animalia sese illi adiungere optarent, idq; precibus & uotis exposcerent, cæteris spretis cum porco solum societatem uoluit inire: rogatus autem causan, respondit: Quia hoc

animal adeo fidũ est, ut amicos & socios suos in nullo quantumuis magno discrimine unquam relinquat.

Hæc fabula docet eorum amicitiam appetendã, qui aduersitatis tempore à præstando auxilio non referunt pedem.

De culice cibum & hospitium ab ape petente. XCIIII.

CVlex hyberno tempore, cum fame & frigore se peritu rum conijceret, ad apium accessit aluearia, ab eis cibum & hospitium petens. Quæ si ab eis fuisset consecutus, promittebat filios earum se artem musicam edocturũ. Tunc quædam apis: At ego artem meam malo liberi mei addiscãt, quæ res & à famis & à frigoris periculo eximere poterit.

Fabula nos admonet, ut liberos nostros ijs artibus erudiamus, quæ eos ab inopia ualeant uendicare.

De asino tubicine, & lepore tabellario. XCV.

LEo rex quadrupedum aduersus uolucres pugnaturus, suorum acies instruebat. Interrogatus autem ab urso, quid aut asmi inertia, aut leporis timiditas ad uictoriam conferre possent, quos ibi inter cæteros milites adesse cernebat, respondit: Asinus tubæ suæ clangore milites ad pugnam concitabit, lepus uero ob pedum celeritatem tabellarij fungetur officio.

Hæc fabula significat, neminem adeo contemptibilem, qui aliqua re nobis prodesse non possit.

De accipitribus inter se inimicis, quos columbæ pacauerant. XCVI.

ACcipitres inuicẽ inimici quotidie decertabant, suisq; odijs occupati, alias aues minime infestabant. Columbæ illorum uicem dolentes, eos missis legatis composuere.

Sed

Sed illi ubi inter se amici effecti sunt, cæteras aues imbecillio res & maxime columbas, uexare & occidere non desinebant. Tunc secum columbæ: quàm utilior accipitrum discordia, quàm concordia nobis erat.

Hac monet fabula, malorum inter se ciuium odia alenda potius quàm extinguenda, ut dum inter se digladiantur, uiros bonos quiete uiuere permittant.

De muliere ignem in mariti domum ferente. XCVII.

VIr quidam prudens uxorem ducebat. Interrogatus autem ab amicis, quid sibi uellet facula illa, quam noua nupta accensam à paterna domo effert, rursusq; mariti domũ ingressura, accendit & introfert. Significat, inquit, me hodie ignem è soceri mei ædibus ablatum, in domum meam inferre.

Fabula significat sæpenumero mulieres ignem quendam esse, qui mariti bona comburit.

De prætore repetundarum damnato. XCVIII.

PRætor qui prouinciam cui præfuerat expilauerat, repetundarum damnatus fuerat. Cumq; ægre ablata resti-tueret, dicebat quidam è prouincialibus: Hic noster prætor mulieres imitatur, quæ fœtus concipientes mira uoluptate afficiuntur: cũ autẽ eos emittunt, incredibili dolore torquẽtur.

Fabula significat, aliena non esse surripienda: ne illa deponere coacti, mœrore conficiamur.

De sene mortem differre uolente. XCIX.

SEnex quidam mortem quæ eum è uita raptura aduenerat, rogabat ut paululum differat, dum testamentum

conderet & cætera ad tantum iter necessaria præpararet. Cui mors, cur non, inquit, hactenus præparasti toties à me admonitus? Et cum ille eam nunquam à se uisam amplius diceret, cum inquit, non æquales tuos modo, quorum nulli ferè iam restant, uerumetiam iuuenes, pueros, infantes quotidie rapiebam, non te admonebam mortalitatis tuæ? Cum oculos hebescere, auditum minui, cæterosq; sensus indies deficere, corpus ingrauescere sentiebas, nónne tibi me propinquam esse dicebam? & te admonitum negas? quare ulterius differendum non est.

Hæc fabula indicat, ita uiuendum, quasi mortem semper adesse cernamus.

De uiro auaro sacculum numorum alloquente. C.

VIr quidam auarus, qui ingētem aureorum aceruum male partum relicturus moriebatur, interrogabat sacculum nummorum, quem morienti sibi iusserat afferri, quibus uoluptatem esset allaturus. Cui sacculus, hæredibus inquit tuis, qui nummos à te tanto sudore quæsitos, in scortis & conuiuijs profundent: & dæmonibus, qui animam tuam æternis supplicijs mancipabunt.

Hæc indicat fabula, stultū esse in ijs laborare, quæ alijs gaudium, nobis autem sint allatura tormentum.

FABVLARVM ABSTEmij primi hecatomythij Finis.

PETRI PAVLI PHANTINI DE Tradotio, in Hecatomythion cõsumatissimi uiri Laurentij Abstemij Maceraten, Tetrastichon.

QVOD *nemus Hesperidum Panchaia, Bactra, Sabæi*
Elysium quod habet, quod Tagus, Astur, Arabs.
Cuncta tuo Abstemi nascuntur sponte uireto,
Cuius habent siliquæ seria, non apinas.

IOANNIS ANTRACINI MAceraten, in Hecatomythion clarissimi uiri Laurentij Abstemij Maceraten, Tetrastichon.

DOCTILOQVOS *alijs scriptis superare Latinos*
Quære, sumus lepidis Græcia docta pares.
Te Xanthi seruus technis celebrauit amœnis,
Non minus Abstemij nos decorauit opus.

HECATOMYTHION SECVNDVM, EIVSDEM ABSTEMII.

De diuite petente à fortuna ne plures sibi daret diuitias. I.

IR *quidam admodum diuitiarum et opum suarum pertæsus, mendico homini centum aureos obtulerat, si ad Fortunã suam accedẽs, quæ in remotis orbis partibus morabatur,*

eam nomine suo rogaret, ne plures diuitias sibi concederet. Pauper lõgi itineris labore deterritus, primo abnuit: sed quũ deinde consiliũ pœnitens se iturũ polliceretur, diues non plus quàm nonaginta dare uelle se dixit. Pauper hanc paruam tanti laboris mercedem ratus, renuit primo, sed quum paulo post nonaginta peteret, diues uix ut octuaginta daret, poterat adduci. Sed quum mendicus hunc quoq; numerum recusaret, postea uellet, semper diues ex numero oblato decem detrahebat, donec ad denarium numerum peruenisset. Mendicus tandem qui centum recusarat aureos, inopia urgente, aureis decem acceptis, ad Fortunam se contulit, multis eam rogans precibus, ne in diuitem plures uellet conferre diuitias, quæ illi molestæ & graues admodum erant. Sed in se potius uellet esse benigna, qui à teneris annis in perpetua uixerat inopia. Tunc Fortuna, constitui inquit, diuiti illi, qui te misit, etiam nolenti duplicare, mò triplicare diuitias. Te autem in summa mendicitate perpetuo uiuere faciam. Decem autem quos accepisti aureos, nunquam habuisses, nisi tunc arctissimus me oppressisset somnus.

Fabula indicat, Fortunam infelici homini semper aduersam, fortunato autem etiam nolenti semper esse propitiam.

De uidua quæ operarium suum sibi coniugio copulauit. II.

VIdua quædam conquerebatur cum operario, quem ad fodiendum agrum conduxerat, quod omni auxilio destituta, non posset & uiri & mulieris pariter officium sustinere. Tunc operarius eam exhortari cœpit, ut uirum acciperet, qui bonam magnamq; partem oneris ei demeret, pollicitus q; est se eam sibi matrimonio copulaturum, si eum tali officio idoneũ iudicaret. Tum mulier nõ ulterius cunctandum

cunctandũ rata, quum hunc ad opus maritale admodum aptum arbitraretur, fac inquit, quicquid uis, deinde (erat enim hora prandij) comedemus. Operarius & huiusmodi confabulatione, & uiduae forma ad uenerem incitatus, Syluano auspice matrimonium consummauit, proq; agro uiduam fodere cœpit.

Fabula indicat, quàm facile humanæ mentes uenerea uoluptate capiantur.

De uiro deflente uxorem mortuam. III.

VIr quidam pauper defunctæ uxoris mortem multis lachrymis, & querelis prosequebatur, se miserum & infelicem uocitans, qui tam probæ mulieris esset consortio destitutus: utq; suum in uxorem testaretur amorem, dicebat in morem turturis compare priuati, in perpetuo cœlibatu uelle permanere. Inter lamentandum autem cernens quòd mulieres, quæ ad curandum funus conuenerant, uestem nimium sumptuosa defunctam induere uolebant, Quid facitis inquit stultæ? Cur tam pretiosam uestem perdere uultis? quid alia uxor, quam ducturus sum, feret? Tunc omnes, qui aderant, inter luctus & lachrymas uix risum poterant continere. Qui enim paulò ante cœlibem uitam agere uelle se dixerat, nunc de alia uxore cœperat cogitare.

Fabula hæc indicat, difficile esse animi ægritudinem uerborum simulatione cælare.

De sacerdote qui quinq; uestales prægnantes fecerat. IIII.

SAcerdos quidam, spectatæ admodum uitæ, ab episcopo uenerabili uiro monasterium custodiendum curandumq; acceperat, in quo quinq; mulieres deo dicatæ, iuuenes, sed nõ multum pudicæ erant inclusæ. Sed quoniam mentes quoq;

ferreæ libidine superantur: infelix uir non cogitans cui faceret iniuriam, illarum forma ac illecebris delinitus, intra anni circulum quinq; ex illis filios procreauit. Quod cum antistes audisset, iratus & furore succensus, accersitum ad se sacerdotem uehementer increpuit, perfidum, & sacrilegum hominem nuncupans, qui templum spiritus sancti esset ausus uiolare. At ille rubore suffusus, quum se aliter defendere nesciret: Domine, inquit, quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinq; superlucratus sum. Quo dicto tam faceto permotus episcopus, homini ueniam dedit.

Fabula indicat, peccata quum ratione nequeant, urbanitate diluenda.

De episcopo qui sacerdoti ignouerat, nummos armatos afferenti. V.

Episcopus quidam pecuniæ, quàm salutis animæ cupidior, sacerdotem quendam, qui grauissimum quoddam scelus perpetrarat, condemnare decreuerat. At ille, cui præsulis sui erat auaritia nota, lancē aureis plenam, quibus imago regis armati erat impressa, episcopo dono dedit. Tūc Antistes, constituerā, inquit, te ommno perdere: Sed quis posset tot armatis obsistere? Inuitus te cogor absoluere.

Fabula indicat, nullum scelus esse tam deforme, quod uir auarus pecuniæ magnitudine non condonet.

De psittaco admirante cur maior honor alibi quàm in patria sibi exhiberetur. VI.

Psittacus ex oriente in occidentem delatus, ubi huiusmodi aues nasci non consueuerunt, admirabatur sese in maiori pretio & honore haberi, quàm in natali consuecuisset solo: Nam caueam eburneam, argenteis contextam uirgis incolebat, suauissimisq; alebatur cibis, quod cæteris auibus occidentalibus,

alibus, quæ neq; in forma, neq; exprimendis humanis uocibus erant inferiores, non contingebat. Tunc turtur in eadem cauea conclusus, hoc inquit, nulla est admiratione dignum. Nulli enim in patria meritus honor exhiberi solet.

De aquila in pulchritudine se cæteris auibus præferente. VII.

AQuila se in pulchritudine cæteris auibus præferebat, cunctis hoc uerum esse affirmantibus. Pauo autem secum dicebat: Non pēnæ te formosam, sed rostrum & ungues efficiunt, quorum timore nulla ex nobis audet tecum de formositate certare.

Fabula indicat, à multis res potentiorum non tam uerita tē quàm timore laudari.

De testudine ab aquila in altum sublata. VIII.

TEstudo ægrè ferens se in locis humidis, & conuallibus assidue commorari, Aquilam rogauit, quam audierat ita alte uolare, ut maximos terrarum tractus posset longe & late despicere, ut se in altum tolleret, unde ipsa quoq; montes & ualles, campos & æquor, eodem temporis momento, posset intueri. Quod quum aquila prompte fecisset, eam ex alto demisit, unde cadens humi illisa & confracta est.

Fabula monet, nè quis se altius extollere uelit, quàm eius conditio aut natura patiatur.

De cane aduersus lupum asinō nō opitulante, quia sibi panem non dederat. IX.

CAnis molossus non modo ad lupos, sed etiam ad ursos expugnandos ualidus, cum asino, qui saccum panibus plenum ferebat, longum iter fuerat ingressus. Inter eundum autem oborta fame, asinus pratum offendens large uenirent

uirentibus herbis impleuit. Canis autem asinum rogabat, ut aliquantulum panis sibi daret, ne periret inedia. At ille non solum panem non dabat, sed canem irridens, illi ut secum herbas pasceret consulebat. Interim lupum aduenientem asinus conspicatus, canem rogabat, ut sibi esset auxilio. Cui canis, Tu mihi, inquit, consuluisti ut aduersus famem herbas pascerem, ego quoq; tibi consulo, ut aduersus lupum te ferratis calcibus tuearis. Hæc quum dixisset, abiens ingratum comitem, & raptoris sui mox cibum futurum in pugna deseruit.

Fabula indicat, qui indigentibus expetita non præstat auxilia, ab alijs quoq; necessitatis tempore solere destitui.

De paupere flente ruinam domus, ubi thesaurum inuenit. X.

VIr quidam pauper nihil habebat, præter domum ruinam minantem, tibicinibusq; suffultam, quam ab agro rediens quum ruentem offendisset, nec haberet unde eam reficeret, uehementer angebatur, magnoq; eiulatu & clamore cuncta complebat. Inter lamentandum autem cernit urnulam æneam, quæ multos iam annos in pariete obstruſa latuerat, inter rudera et saxa iacentem, quam quum sustulisset, apertamq; aureis plenam inuenisset, eiulatu & clamore compressis, uehementi gaudio affectus est.

Fabula indicat, sæpenumero id nobis utile esse, quod damnosum putabamus.

De uulpe orante foramen domus, modo dilatari modo contrahi. XI.

VVlpes ingressura domum rustici, ubi gallinas audierat, foramen per quod trāseundum erat, dilatari cupiebat. Sed rursus quum raptam gallinam ferens

inde

inde fugeret, & latratum canis audiret, deos precabatur, ut cani foramen esset angustum, ne inde posset exire.

Fabula indicat, mortales pro cõmodis suis uota mutare.

De olea tarde, & cucurbita citò crescentibus. XII.

OLea admirabatur cucurbitam iuxta se natam breui tantum creuisse, ut se esset longe altior, quæ annos quamplurimos in eodem fuerat loco. Sed quum aduentante hyeme cucurbita exaruisset, minime, inquit olea, cito crescentibus est inuidendum, quibus tam citus est paratus interitus.

Fabula indicat nimium festinata non esse diuturna.

De pecunia potius ad malos quàm ad bonos accedente. XIII.

PEcunia interrogata à uirtute, cur potius ad malos, quàm ad bonos accederet. Quia boni inquit mentiri, pierare, usuram facere, & alios spoliare te magistra non didicerunt. Hæ enim res ad sese me trahere solent. Tunc uirtus, malo, inquit, discipuli mei in paupertate degant, quàm sese his uitijs contaminent. Vtrisq; enim cito moriendum est: Boni in terrarum orbe gloriam relinquentes sempiternam, ad cœlestia regna subuolabunt: Mali autem merita notati infamia relictis opibus suis, ad tartara ima descendent.

Fabula monet diuitias turpiter non congregandas, quæ amatoribus suis hic infamiam, post mortem autem smt daturæ tormentum.

De bubone dicente aquilę filios suos cæterarum auium filijs esse formosiores. XIIII.

AQuila in concilio auium dixerat cæterarum auium filios, qui magis formosi essent in aulicos eligere. Et quum certatim quæq; suos offerret, Bubo, Regina, inquit, no

stra, meos accipe, qui cæteros pulchritudine superant. Qua forma, inquit Aquila, sunt filij tui? Qua ego sum bubo respondit. Tunc cunctæ aues sunt uehementi cachinno commotæ.

Fabula indicat, neminem natum adeo deformem, qui parentibus suis non uideatur esse formosus.

De uulpe in puteum delapsa, quæ lupum rogabat ut inde eam subduceret. XV.

VVlpes in puteum delapsa, & iamiam submergenda, rogabat lupum in putei margine existentem, ut demisso fune illinc eam educeret. Cui lupus, quomodo, inquit, istuc decidisti? Non est nunc ait uulpes istud narrandi tempus: Quū me hinc subduxeris, tibi ordine cuncta narrabo.

Fabula indicat, quomodo periclitantibus celeri auxilio opus est, superuacuis uerbis tempus non esse terendum.

De fele quæ murem & caseum comedit. XVI.

VIr quidam magnum ac pulcherrimum in capsa caseum habebat, quem musculus edebat. Ex consilio ergo amici felem illuc clausit, quæ occiso mure totum caseum comedit.

Fabula indicat, eos non adhibendos custodes, qui non minus quàm hostes nobis nocere possunt.

De lauto leonis conuiuio, non omnibus animalibus grato. XVII.

LEo epulum opipare apparatę; cæteris brutis animalibus exhibebat, in quo gallinæ, turdi, & huiusmodi auiū carnes, partim assæ, partim elixæ erant. Hoc cani, feli, & cæteris animalibus carniuoris gratum admodum erat. Cætera autem, quæcunq; herbis ordeoq; uescuntur, huiusmodi conuiuium ut insipidum damnabant.

Fabula

Fabula indicat, quàm difficile sit uariæ uulgi uoluntati satisfacere.

De uiro de morte patris piſciculos ſciſcitante. XVIII.

VIr quidam doctus ad conuiuium cuiuſdam principis accitus, & in ultimo loco diſcumbere iuſſus: quum cæteris conuiuis magni piſces, ſibi autẽ minutuli apponerentur, nullum edebat. Sed ſingulos ori prius, deinde auribus admouens, tanquam aliquid ab eis ſciſcitaturus, in patinis integros & illæſos reponebat: interrogatus à magiſtro conuiuij, cur hoc faceret: meus inquit pater ante hoc biennium his in regionibus naufragio periit, nec quid de eius cadauere factum ſit, poſtea ſcire potui. Sciſcitabar ergo ab his piſciculis, an aliquid de eo ſcirent. Verum hi eo tempore nondum ſe natos fuiſſe reſpondent. Quare maiores interrogandi eſſent. Princeps audito tã lepido dicto, ipſi quoq; maiores iuſsit exhiberi, ſemperq; eum poſtea inter præcipuos conuiuas habuit.

Fabula indicat, apud literarum inopes doctis uiris non tam doctrinam quàm facetias & urbana dicta prodeſſe.

De cane pluuiam timente, quia feruenti aqua fuerat excoctus. XIX.

CAnis quidam quoties pluebat domo egredi non audebat. Interrogatus ab alio cane, cur hoc faceret, Quia, inquit, quondam feruenti aqua excoctus ſum.

Fabula indicat, grauia mala expertis, leuiſſima quæq; timori eſſe.

De uiro uicino qui conuiciante ueſicam concutiebat. XX.

VIr quidam prudens, mitis ac tranquilli ingenij, habebat uicinum maledicum, iurgiorum amantem, qui

eum quotidiè conuitijs & maledictis ad iram prouocabat. Vt igitur illius petulantiam & procacitatem retunderet, quoties eum conuiciantem audiebat, nil respondebat, sed uesicam uento plenam, in qua fabas concluserat, concutiebat, cuius sonitu illũ erubescere, & à conuitijs desistere cõpellebat.

Fabula indicat, maledictis & stultis uiris minime respondendum, ne eis similes iudicemur.

De asino, qui porco inuidebat. XXI.

ASinus porco, qui sub eodem erat domino, plurimum inuidebat, quod omnis laboris expers, uarijs nutriretur cibis, indieśq; pinguior fieret, ipse autem plurimum laboris sustinens duris paleis aleretur. Vnde macilentus effectus uix ingredi posset. Sed ubi uidit contubernalem suum ad laniena trahi, ut occisus hominum esset cibus, aliquantulum recreatus, Atat, inquit, hinc illa in nutriendo porco hominum diligentia. O quàm melius est asinum esse quàm porcum.

Fabula indicat, ijs quos felices putamus, minime inuidendum, quum illa adumbrata felicitas sæpe multæ sit causa miseriæ.

De muliere ob turdos uerberata. XXII.

VIr quidam iracundus emens merulas, dederat uxori coquendas, dicens: Coque hos turdos: cui uxor, Merulæ sunt non turdi. Quum autẽ maritus contenderet esse turdos neq; uxorem posset inducere, ut turdos esse assentiretur, plurimis eam uerberibus affecit. Exacto autem anno, quum dies certaminis illuxisset, mulier uerberum memor, hæc est, inquit, illa dies, qua me superiori anno ob illas maledictas merulas tam male tractasti. Adhuc, inquit uir, negare audes illos fuisse turdos? & quũ rursus mulier uiro non cederet, iterum uapulauit, sićq; quotannis eadẽ die redeũte uapulabat.

Fabula

Fabula indicat, stultum esse aduersus potentiores se, ob minimam rem uelle contendere.

De uiro qui experiri uoluit mentem uxoris. XXIII.

VIr quidam callidus experiri cupiens animum uxoris, quæ sæpenumero dicere solebat, adeò uiri amorem sibi infixum, quòd si optio daretur, mariti uitã sua morte redimeret, super nudos utriusq; pedes stuppam igne succensam decidere permisit. Tunc mulier dolore affecta, amoris q; obli ta mariti, à suis tantũ pedibus ardentem stuppam excussit.

Fabula uiros admonet, ne mulieribus fidem adhibeant, quum maritos magis quàm se ipsas amare testantur.

De opilione qui inter canes lupum aluerat. XXIIII.

OPilio reperiens catulum lupi, domum tulit, eum q; inter canes ouium custodes, aluit: qui ubi adoleuit, oues occidere, canes q; ut unà secum comederent, edocere. Quod opilio animaduertens, lupum quidem occidit, canes tamen ut ab ouium cæde temperarent, non poterat prohibere. Tunc pastor secum, Merito plector, ut qui lupũ canibus immiscui, qui eos oues occidere docuit.

Fabula indicat bonorum mores, malorum consuetudine corrumpi.

De filio hortulani puncto ab urtica. XXV.

FIlius olitoris punctus ab urtica, quæ paternis in hortis creuerat, conquestus est patri, quòd herba domestica ne heri quidem sui filio pepercisset. Cui pater, fili inquit, huic innatum est omnibus eandem esse.

Fabula indicat, uirum natura malignum, ne à domestico rum quidem iniurijs abstinere.

De gallo uulpinam pellem fugiente. XXVI.

Gallus à uulpe captus, magna difficultate illius manus euaserat. Hic paulopost uisa uulpis pelle uehementer territus fugiebat: qui cum à cæteris irrideretur auibus, quod inani timore concuteretur, Si inter uulpis ungues ut ego, inquit, fuissetis, pedū uestigia, nedū pellē illius timeretis.

Fabula indicat, è magnis periculis elapsos, quæq; minima formidare solere.

De pastore gregem suum aduersus lupum hortante. XXVII.

Pastor, qui magnum caprarum ouiumq; gregem habebat, uidens gregem suum quotidie lupi escam fieri, ac minui, oues & capras congregans, longa eas oratione hortatus est, ne uellent lupum formidare, quum essent numero plures, & cornibus, quibus lupus careret, insuper armatæ. Sed uellent unanimiter, & auxilio mutuo sese ab illius impetu & furore defendere, promittens se quoq; eis non defuturum. Illæ hac oratione animatæ promittunt, iurantq; se nequaquam lupo cessuras. Quum autem paulopost lupus aduentare nunciaretur, tanto timore affectæ sunt ut nullis pastoris uerbis possent à fuga cohiberi. Tunc pastor secum, Impossibile est, inquit, mutari posse naturam.

Fabula indicat, homines natura ignauos ac meticulosos, non solum conspectu, sed etiam hostium fama terreri, nullaq; ducis oratione ad uirtutem accendi.

De apro asinum ad certamen prouocante. XXVIII.

Aper asinum ad certamen prouocans, sperabat se uictorem fore, quod longiores acutioresq; sibi quàm aduersario dentes essent. Sed quum asino propinquasset, ferratis pedibus

pedibus percussus, cecidit semimortuus. Paulopost ad se reuersus: Non istinc me lædi, inquit, credebam.

Fabula indicat, uirum prudentem omnia explorare debere, unde ab aduersario possit offendi.

De uiro qui uxori se ouum peperisse dixerat. XXIX.

VIr quidam experiri uolens, an uxor commissa tegeret. Vxor, inquit, magnum portentum, & silentio dignum, mihi hac nocte contigit, (cum illa enim cubãs hoc dicebat) quod enarrarem, si à te non efferri arbitrarer. Verum non audeo, quia mulieres rimarum plenas, & hac illac perfluentes audio. Cui uxor, nondum me pernosti mi uir, qui ex aliarum ingenijs me iudicas. Potius mortem mihi paterer inferri, quàm aliquid cõtra tuam uoluntatem efferrem, idq; iureiurando cœpit affirmare. Tunc maritus, quasi uerbis illius fidem haberet, peperi, inquit, hoc ouum (dormitum enim proficiscens ouum secum attulerat.) Sed caue si me amas, ne cui hoc dicas. Tute enim nosti quanto dedecori mihi esset, si ex uiro gallina factus dicerer. Mulieri tarde admodum nox discedere uisa est. Vix ergo aurora rutilante, commatrem conueniens narrat maritum duo oua peperisse. Illa uero alteri mulieri, compatrem suum tria oua enixum esse. Quid multis moror? Antequam sol occideret, per totam urbem uulgatum est hunc hominem ad XL. oua peperisse.

Fabula indicat, quæ taceri uolumus nulli mulieri esse dicenda.

De sacerdote, qui turdos puero suo assandos dederat. XXX.

SAcerdos gulæ deditus, decem turdos pingues, ueru infixos, puero suo assandos dederat dicens, oportere ab

illo omnes ad unum edi, si in cinerem deijceret. Quum paulo post redijsset (fuerat enim ad quædam negotia expedienda profectus) reperit puerum eiulantem. Qui interrogatus, cur fleret, respondit, quia non potuisset nisi nouem comesse, quum in cinerē decidissent, rogaréq; ne alium tunc esse cogeretur, quoniam satis superq; satis uenter sibi turgidus esset. Sacerdos irritatus quum pueri amentia, tum quia se cœna priuatum conspiciebat, eductō extra limen domus puero, ostendit ei tres uias, dicens: Elige quam uis, hic pernoctaturus nō es.

Fabula indicat, amentes seruos domi non habendos.

De ficedula turdum in fertiliorem locum ducente. XXXI.

Ficedula per locum quendam desertum iter faciens, repe rit turdum labruscæ uuis, & syluestrium arborum baccis uictitantem: apud quem hospitata, hortata est eum, ut relicto tam sterili & deserto loco, secum pergeret: se enim ductturam eum in regionem, suauissimis uuis, ficis, & omni pomorum amœnitate refertam. Quum autē turdus illius consilijs obsecutus, in locum à ficedula prædictum peruenisset, reperit cibos adhuc suauiores, quàm illa promiserat. Sed quum uideret nonnullos aues uisco implicitas, alias laqueis captas, complures retibus irretitas, & mille insidias ac dolos auibus tensos, uale ficedulæ dicens, antiquam in patriam redijt, ubi usq; ad decrepitam ætatem, absq; ullo insidiantium metu, uitam tranquille protraxit.

Fabula indicat, longe melius esse tenui, & agresti uictu quiete uiuere, q̄ lautis et opiparis epulis inter uitæ discrimina

De uiro auaro moriente. XXXII.

Vir auarus moriens, quum tunc demum intelligeret, ni hil secum laturum, uertit se ad amicos & propinquos, quos

quos præsentes cernebat, dicens: Discite à me, qui omne uitæ tempus struendis opibus incubui, ne nimium studeatis congregare diuitias. Ex tot enim terræ iugeribus, et tam pretiosis uestibus, quas tanto sudore paraui, quinq; pedum fossam, & linteamen unum, quo mortuus tegar, possidebo.

Fabula indicat, stultum & miserum esse, tantam coacervandis opibus operam impẽdere, quæ uelimus nolimus breui sunt relinquendæ.

De Grammatico docente asinum. XXXIII.

GRammaticus quidam gloriabatur adeo in arte sua se excellentem esse ut si digna daretur merces, non modo pueros, uerumetiam asinos docere profiteretur. Princeps audiens hominis temeritatem, interrogabat eum, an si quinquaginta ei daret aureos, intra decennium docere asinum confideret. Respondit uir impudens, non recusare se ab eo interimi, si hoc spatio temporis asinus ille legere & scribere nesciret. Amici hoc audientes admirabantur, increpabantq; hominem, qui non modo rem arduam, atq; difficilem, uerumetiam impossibilem facere promisisset, timebantq; ne exacto hoc tempore à principe occideretur: quibus ille respondebat: Antequam hoc tempus elabatur, aut asinus morietur, aut princeps, aut ego.

Fabula indicat, in periculo constitutis moram sæpe auxilio esse solere.

De lupo qui se religioni addixerat. XXXIIII.

LVpus in senium deductus, cum non amplius uenari posset, sese religioni addixit, sumptoq; monachi habitu, cibum hostiatim mendicabat. Reprehensus ab alio lupo, quid uis, inquit, faciam? dentes deciderunt, currere non

ualeo, quare aliter uiuere posse diffido.

Fabula declarat, multos homines religioni sese addicere, quia aliter uitam degere nequeunt.

De morione crucifixum pro thuribulo afferente. XXXV.

SAcerdotes complures in quoddam templum ad solennia celebranda conuenerant, ubi thuribulum non erat. Miserunt ergo morionem quendam ad aliud templum propinquũ, ut inde thuribulum afferret: qui profectus, quum quid thuribulum nesciret, crucifixum ligneum, quem ubi forte offendit humeris tollens attulit sacerdotibus: qui ridentes, quum non crucifixum sed thuribulum uelle dicerent, At ego, inquit fatuus, nihil ibi hoc magis tribulatum inueni.

Fabula indicat, res peragendas fatuis non cõmittendas.

De serpente saxo oppresso. XXXVI.

SErpens ingenti oppressus saxo, rogauit uirum illac iter habentem, ut à se onus amoliretur, pollicitus ingentem se illi thesaurum, si hoc faceret, daturum. Quod quum uir mitis fecisset, non modo promissa non soluebat, sed hominem morte dignum esse dicebat. Dum ita contenderent, accidit, ut Simius illac transiret, qui iudex et arbiter electus, non possum, inquit, inter uos tãtas componere lites, nisi uidero prius quo pacto serpens sub saxo stabat. Quum ergo uir serpenti saxum imposuisset, inquit simius, ingratum animal sub saxo relinquendum censeo.

Fabula indicat, ingratos homines nullo dignos esse beneficio.

De uiro lapidato qui resurrexit. XXXVII.

VIr quidam lapidibus occisus à populo resurrexit: qui interroga-

Interrogatus à quodam, quid sibi in ea lapidatione molestius fuisset: nihil, inquit, lapide quem quidam iecit, quem mihi amicum esse credebam, quamuis non fuerim illo percussus.

Fabula indicat, mala quæ ab amicis inferuntur, grauiora uideri, quàm quæ nobis inferunt inimici.

De uulpe capta & à gallo prodita. XXXVIII.

VVlpes rustici laqueis, cuius plurimas gallinas occiderat, capta: rogauit gallum, à quo solo uisa fuerat, ut aut cultellum, quo laqueum scinderet, sibi afferret, aut hero nihil diceret, quoad dentibus laqueum abrupisset. Gallus utrumq; pollicitus, dominum propere adiens, narrat uulpem cassè detineri: quem claua armatum ad se perdẽdam uenientem uulpes cõspicata: Infelix, inquit, & stulta ego quæ credidi gallum mihi fidum fore, cuius tot uxores occideram.

Fabula indicat, ijs, quos insigniter læsimus, nunquam fidendum.

De uulpe gallinas metu canis inuadere non audente. XXXIX.

VVlpes cohortem gallinarum nocte inuadere non audebat, metu canis, quem apud eas pernoctare cognouerat. Sed quum eas alò migrasse, ut cum nonnullis alijs gallinis degerent, intellexisset, ubi canis non erat, uoti compotem se fore rata illuc se conferens, ad unam omnes occidit.

Fabula indicat, melius esse bonum & strenuum uicinum, quàm ignauos consanguineos habere propinquos.

De gallinæ pullo matri non obsequente, unde à miluo raptus est. XL.

Gallina pullos complures habens, uehementer extimescebat, ne sibi à miluo surriperentur. Vnde sæpe eos sub ala uiso miluo congregans, ab inimica alite tutabatur. Sed quadam die miluum ad se accedentem conspicata, filios conuocauit, qui omnes propere ad uocem matris currentes, salui facti sunt, uno duntaxat excepto, qui matris uoce contempta dum granum tritici esse cupit, per aera curuis unguibus à sæua aue raptus est.

Fabula indicat, qui parentum imperio non obsequuntur, in maximas calamitates incidere.

De lupo in fossam lapso & uulpe irridente. XLI.

Lupum in fossam lupariam delapsum uulpes cõspicata irridebat, & circum oras & fossæ marginem lætabunda saltitabat, stolidum animal illum appellans, qui hominum fraudes non animaduertisset. Dum sic ergo lasciua gestiret, subsidens terra eam traxit in præceps: quam delabentem lupus conspicatus: maximum, inquit, nunc mortis meæ solatium ad manes feram, uidens uulpem, quæ me irridebat, mecum pereuntem.

Fabula indicat, illorum calamitatibus nunquam insultandum, quum in easdem nos quoq; incidere possimus.

De lupo oues iuuadere uolente, sed impedito. XLII.

Lupus & leo contracta inter se amicitia uictum quæritabant, tum lupus audito ouium balatu, confide inquit, amice, cibus iam aderit. Secutus ergo ouium uocem, quum ad ouile peruenisset, reperit illud optime munitum, & canes prope dormientes. Reuersus igitur ad leonem, Non placet inquit mihi, quod in præsentia edamus oues, Macilentæ admodum

modum enim sunt, sinamus eas pinguescere, redituri, quum fuerint pingues effectæ.

Fabula eos arguit, qui impediti ne quid faciant, se noluisse argumentantur.

De uulture à canibus capto ob prædam non dimissam. XLIII.

VVltures duo cadauer depascentes, duo ingentia carnis frusta abscideràt, quæ unguibus per aera ferre decreuerant: quum subito canibus aduentantibus, alter eorum dimissa sua parte cadaueris, eiulans statim è canũ cõspectu procul abijt: Alter prædæ intentus, dum partẽ suam dimittere cunctatur, à canibus captus est: qui dum se iamiam moriturum uideret: heu, inquit, me miserum & infelicem, qui paruæ uoluptatis causa tot uitæ uoluptates amittam.

Fabula indicat, nimiam acquirendi cupiditatem sæpenumero auaris attulisse perniciem.

De olitore qui talpam occidere uolebat. XLIIII.

OLitor talpam capiens, eam interimere uolebat. Cui illa: Ne occidas, inquit, mi here me famulam tuã, tam pulchra pelle contectam, & hortulos tuos gratis fodientem. Non me, respondit olitor, his blandulis delinies uerbis, quum me inuito hortulos meos, ut dicis, fodiẽs, herbas omnes, ut te ipsam pascaris, radicitus eruas, & me ad inopiam redigas.

Fabula indicat, in cunctis rebus uoluntatem hominum esse spectandam.

De uiro diuite illiterato, & inope docto. XLV.

VIr quidam diues, sed illiteratus, uirum doctũ, sed inopem deridebat, quod ipse sua industria multas diui-

tias congregasset, quum ille qui tanta doctrina pollebat, maxima inopia premeretur. Cui ille: nil mirum, quum tu opibus coaceruandis, ego uero doctrinæ comparandæ, quæ longe diuitijs præstat, incubuerim. Hinc inter diuitem & literatum orta contentio, utrum doctrina, an gaza præstantior esset: componi non poterat, quum uterq; multos fautores haberet, sed plures diues. Tandem hoc pacto compertum est, doctrinam gaza præstantiorem esse. Discordijs ciuilibus ambo solum mutare compulsi, quum nihil secum è suis fortunæ bonis ferre potuissent, in aliam urbem se contulerunt: ubi uir literatus magna ad docendum mercede conductus, in magno pretio & honore habebatur. Qui uero diues fuerat, panem hostiatim petere coactus inopia, confessus est, se sua opinione deceptum.

Fabula indicat, fortunæ bona, quoniam huc & illuc transeunt, ab animi bonis, quæ propria & perpetua sunt, longe superari.

De uulpe capta à cane, dum se mortuam simulat. XLVI.

VVlpes simulans se defunctam, ut aues ad se tanquam ad cadauer accedentes, intercipere, luto oblita in quodam agro resupina iacebat, expectans cornices, coruos, & huiusmodi rapaces uolucres quas deuoraret, quum superueniens canis, eam mordicus captam cœpit dentibus lacerare. Quod illa animaduertens, digna inquit, patior: nam dum fraudibus aues capere studeo, ab alio ipsa capta sum.

Fabula indicat, qui alijs insidias moliuntur, molestè ferre non debere quod ipsi quoq; ab alijs capiuntur.

De urso qui uxori oculũ eruit. XLVII.

VRsus dum forte cum uore rixaretur, oculũ illi eruit.

Sed

Sed postea pœnitens, tanto dolore affectus est, ut ungues sibi mordicus præcideret. Deinde quum inter loquendū diceret præ suo in ursam amore, se proprijs armis exuisse. Quid, inquit uxor, istud luscæ mihi nunc prodesti? Antequam oculum mihi erueres istud faciendum fuit.

Fabula indicat, post illatas iniurias ferā esse pœnitentiam, quum facta infecta fieri non possint.

De leone irato contra ceruum lætum morte leænæ. XLVIII.

LEo omnes quadrupedes ad defunctæ uxoris exequias honestādas inuitarat. Cunctis igitur alijs mortē reginæ ineffabili dolore prosequentibus, solus ceruus, cui illa filios eripuerat, expers doloris, nullas lachrymas emittebat. Quod leo percipiens, accersitum ad se ceruum, ut illum perimeret, interrogat, Cur non cum alijs reginæ mortem fleat. Cui ille: feciſſem, inquit, niſi me hoc facere prohibuiſſet. Aduenienti enim mihi, felix eius anima ad elisias sedes proficiscens apparuit dicens, eius discessum non lugendum, quum ad amœna uireta fortunatorum nemorum, sedesq; beatas proficisceretur. Hæc Leo audiens lætatus est, ceruoq; ueniam dedit.

Fabula indicat, uiri prudentis officium esse, interdum fingere, & sese à potentium furore honesta excusatione tutari.

De patrefamiliâs succensente cani ob gallinas raptas. XLIX.

PAterfamiliâs oblitus haram, in qua gallinæ pernoctabant, claudere: quum mane surrexisset, reperit omnes à uulpe occisas, et ablatas esse. Indignatus igitur in canem, tam quam malum rerum suarum custodem, multis illum afficiebat plagis. Cui ille: si tu, inquit, cui gallinæ oua & pullos pariebant, in occludendo ostio negligens fuisti: quid mirum,

si ego alto sopore oppressus, uulpem uenientem non sensi? qui nulla ex illis emolumenta percipiebam.

Fabula indicat, haud unquam sperandum diligentē fore familiam, cuius paterfamilias negligens fuerit.

De delectore militum. L.

DElector quidam missus à duce suo ad milites deligendos, qui rebus bellicis magis idonei uiderentur: inter cæteros quēdam eligere uolebat procera statura & qui aspectu ipso præ se ferebat strenuum bellatorem. Tum ille, falleris inquit, ô delector: Non sum enim his qui uideor.

Fabula indicat, ex ipso corporis habitu homines non esse iudicandos.

De uulpe gallinam incubantem occidere uolente. LI.

VVlpes rustici cuiusdam domum ingressa, reperit in nido gallinam ouis incubantem, quæ eam rogabat dicens: Ne me obsecro in præsentia occidas macilentam. Expecta paululum, dum pulli mihi nascantur, quos ut tenellos absq; dētium dolore esse poteris. Tunc uulpes: Non essem, inquit, inter uulpes numeranda, si nunc esuriens, spe pullorum, qui nōdum nati sunt, paratum omitterem cibum. Dentes ualidos gero, qui quamlibet durissimam carnem molere consueuerunt. Hæc dicens, gallinam deuorauit.

Fabula indicat, eum amentem esse, qui incerta spe maiorum rerum, præsentes omittit.

De cane qui societatem cum asino aduersus lupum iniuit. LII.

CAnis molossus cognoscens se lupo, cum quo magnas exercebat inimicitias, imparem, statuit aliquem sibi socium asciscere, ut mutuo auxilio lupum superaret. Videns autem

autem asinum lupo uocaliorem, maiorẽ, clitellisq; uelut thorace armatum, magnasq; pilas podice cum magno tonitru emittentem, ratus est eum strenuum esse bellatorem. Quare contracta societate lupum ad pugnam prouocauit. Sed ubi ad primum lupi conspectum asinum fugientem uidit, nilq; aliud, quàm inconditos clamores, & magnos uentris crepitus edentem, ipse quoq; fugiens, socium in ipsa pugna deseruit, pabulum lupo, uulturibusq; futurum.

Fabula indicat, stultos esse, qui hominum uirtutẽ ex uerborum ampullositate, & corporis proceritate dijudicant.

De lupo gregem aggresso, quum ibi duo canes essent inter se pugnantes. LIII.

LVpus ex alta specula contemplatus canes geminos gregis ouium custodes inter se pugnantes, & sese mutuis morsibus dilacerantes, spem concepit posse tuto oues inuadere. Magno igitur impetu in oues delatus, quum unam oppidò pinguem rapuisset, concite fugiebat. Canes id conspicati, omissa domestica pugna, lupum fugientem assecuti, tantis illum affecere uulneribus, ut uix posset euadere. Cum autem mox ab alio lupo interrogaretur, cur solus gregem esset adortus, ubi tam ualidi erant propugnatores: domestica, inquit, pugna deceptus sum.

Fabula indicat, quod inimicitiæ externorum, discordes propinquorum animos reconciliare solent.

De asino qui obiens uinum effudit. LIIII.

VIr quidam pauper, cui præter uini dolium, & asinum nihil erat, filiam unicam cuidam spoponderat adolescenti, paulum nescio quid pollicitus dotis, quam ex uini & asini precio (constituerat enim hæc uenundare) contrahere posse arbitrabatur. Sed sequẽti, qua sponsalia facta sunt, nocte

asinus obijt, & inter moriendum, fracto calcibus dolio, uinum effudit.

Fabula indicat, nullam in rebus caducis spem habendã.

De arundine nidulum ab auicula petente. LV.

ARundo ægre ferebat, quum cæteræ non solum arbores, uerumetiam herbæ interdum nidos auium sustinerent, se eo honore priuari. Rogauit ergo auiculam quandam, ut ipsa nidificaret. Cui illa: facerem inquit, nisi instabilitati tuæ diffiderem. Nolo enim filiorum meorum domum in fundamento tam instabili collocare.

Fabula indicat, res nostras uiris instabilibus minime committendas.

De pica cuculum pro accipitre fugiente. LVI.

PIca inter arborum frondes delitescentem cuculum conspicata, accipitrem esse suspicata est. Quare concitata fugiebat. Quod nonnullæ aliæ aues, quæ prope aderant, intuitæ, picam irridebant, quod pro accipitre cuculum fugeret: quibus illa, malo, inquit, à uobis irrideri, quàm ab amicis fleri

Fabula indicat, melius esse, inimicis ridendi, quàm amicis flendi præbere materiam.

De seruo qui asinam heri è rupe deiecit. LVII.

SEruus cuiusdam agricolæ asinum domini sui ex altâ rupe præcipitem dedit, ne quotidie huc & illuc illum agere cogeretur, mentitusq; est domino, illum sponte sua se deiecisse. Ob hoc dominus seruum compellebat omnia humeris suis ferre, quæ ante asinus portabat. Quod seruus nequam animaduertens: male, inquit, mihi consului, quum innocentem

confer-

conseruum meum peremi, qui me tanto labore leuabat: iuste nunc plector.

Fabula indicat, insipientes dum mala à se amoliri uolunt, sæpe incidere in grauiora.

De porco post mortem gratiam domino referente. LVIII.

PORcus criminatus ab ouibus, quòd domino, à quo tanta pascebatur diligentia, nullam referret gratiam: quum ipsæ lac, lanam, agnosq; illi præberent: mortuus, inquit, referam: non ab re me nutrit.

Fabula indicat, quòd nemo absq; spe præmij laborem subit.

De merula miluum extimescente. LX.

MErula suspiciens miluum magno ambitu aera circinantem, ingentesq; eiulatus edentem, uehementer exterrita est. Cui turdus: ne trepida soror, inquit, tantos pugnæ apparatus, totq; minas in exiguum murem, aut in pullũ galli naceum tandem effundet. Cauendum nobis est ab accipitre, cuius prius ungues, quàm uocem sentire solemus.

Fabula indicat, magis quietos & tacitos homines, quàm minaces & uerbosos extimescendos.

De gallis inter se pugnantibus. LXI.

GAlli duo, ut eorum mos est, inter se de ducatu gallinarum acerrime certabant. Qui superior in pugna fuerat, alarum plausu, uocisq; cantu se uictorem fuisse significans, uenere & ocio emarcuit. Victus autem à conspectu gallinarum profugiens, cum cornicibus, & pauonibus sese quotidie pugnando exercebat, inferendi, uitandiq; ictus artem ediscebat: qui ubi se satis instructum uidit, rediens, aduersarium ad pugnam prouocatum, nullo negocio superauit.

Fabula indicat, nihil æque milites enervare, quàm nimiũ ueneris usum, desuetudinemq; pugnandi.

De uiro benefico qui in latrones inciderat. LXII.

VIr beneficus, et in cunctos liberalis, peregre profectus incidit in latrones: qui circunstantes quum eum interimere uellent, exclamauit unus ex eis: Ne interficiatis hunc uirum bonum, & de me benemeritum. Quippe qui me non solum olim benigne susceperit hospitio, uerumetiam ægrotum fouit, medicoq; curandum tradidit. Quibus uerbis moti socij, illum illæsum abire permiserunt.

Fabula indicat, quot possumus beneficia in cunctos conferenda.

De cane qui occidit filium domini. LXIII.

VIr quidam diues uenandi studio mirifice deditus, complures canes alebat, quorum unus filium domini morsu interfecit. Dominus ira percitus, non solum homicidam, uerumetiam omnes alios iussit occidi. Tunc ait unus ex eis, Vnus peccauit, & cuncti plectimur.

Fabula indicat, unius malignitatem sæpe multis obesse.

De agricola icto ab ape. LXIIII.

AGricola ictus ab ape, admirabatur, ut ex eodem ore succus tam suauis, & stimulus tanti doloris exiret. Respondit apes: Quò beneficentior sum, eò maiori odio prosequor mihi inferentes iniuriam.

Fabula indicat, quò magis homines benefici sunt, eò minus iniurias tolerare.

De capra prohibita à cane hortum intrare. LXV.

Capra

Capra esuriens, hortum quendam, ubi uirentia uiderat olera, intrare cupiebat: Sed canis molossus, quē olitor custodem apposuerat, non permittebat, minitans ei mortem si pedem introferre tentaret. Cui capra: Quid, inquit, me esse prohibes, quæ tibi nulli sunt usui? Nulla, respondit canis, ratione hoc facio: sed quia ita mihi insitum est à natura.

Fabula exprimit naturam auarorū, qui multis rebus abundant, quibus neq; ipsi fruuntur, neq; alios frui patiuntur.

De hydro ranam deuorare uolente. LXVI.

Hydrus in quadam palude ranam persequebatur, quem quum illa euadere non posset, conuersa dicebat: Ne me deuora hydre, quæ nulli unquam nocui. Cui hydrus: clamor tuus, inquit, minæq;, quibus die noctuq; obstrepis, te malefica animal esse testantur. Quod autem non noceas, impotentia causa est, dentes enim non habes.

Fabula indicat, multis non animum nocendi, sed uires deesse.

De iuuene ducturo uxorem, rogante amicos ut pro se orarent. LXVII.

Iuuenis quidam desponsurus uxorem, quum interrogaretur, an eam uellet, conuertit se ad amicos & propinquos, qui ibi aderant, dicens: Quid ut muti sletis? Cur non deum, ut me hodie adiuuet, oratis? Si enim sternutantibus deū adesse precamur, ubi nullum est periculum, quanto nunc magis pro me orare debetis, cui tantum uidetis imminere discrimē.

Fabula indicat, ducentes uxorē maxima adire pericula.

De uiro decrepito arbores inserente. LXVIII.

Vir decrepitæ senectutis irridebatur à iuuene quodam, ut delyrus, quod arbores insereret, quarum non esset

poma uisurus. Cui senex: Nec tu, inquit, ex ijs, quas nunc inse rere paras, fructus fortasse decerpes. Nec mora: Iuuenis ex arbore, quam surculos decerpturus ascenderat, ruens col lum fregit.

Fabula indicat, mortem omni ætati esse communem.

De claudo primum accubitum occupante. LXIX.

CLaudus quidam ad nuptias inuitatus, in primo discubuit loco. Sed magister conuiuij eum inde detrahens, in ultimo collocauit dicens: Sedes nulla datur præter quàm sexta trocheo: alludens ad hunc pedem, cui duæ syllabæ dispares sunt, ut illi pedes erant: & qui in ultima metri heroici locatur sede, ut ille ima conuiuij parte dignus erat.

Fabula indicat, primos accubitus non occupandos, ne irrideamur inde detracti.

De uiro qui thesarum compatre conscio abdiderat. LXX.

VIr quidam admodum diues, thesaurum in sylua inso derat, nemine præter compatrem, cui plurimum fide bat, conscio. Sed quum paucis post diebus ad eum ui sendum accessisset, reperit effossum, atq; ablatum. Suspicatus igitur id, quod erat, à compatre sublatum, eum conuenient: uolo, inquit, compater mi mille aureos, ubi thesaurum abdidi, adhuc infodere. Compater cupiens plura lucrari retulit, reposuitq; thesaurum: quem quum uerus dominus paulopost accedens reperisset, secum domum tulit, conueniensq; compatrem, inquit: fidefrage ne sumas inanem laborem, ut ad thesaurum accedas, amplius enim non inuenies.

Fabula indicat, quàm facile sit uirum auarum spe pecuniæ decipere.

De

De leone à uulpe edocto ut posset è uinculis exire. LXXI.

LEo comprehensus laqueo, totis uiribus uincula dirumpere conabatur, quo autem maiori conatu laqueum trahebat, eo arctius detinebatur. Vulpes illac iter habens, cum hoc esset intuita: Non uiribus, inquit, mi rex istinc euades, sed ingenio. Relaxandus enim laqueus, & dissoluendus, non trahendus est. Quod cum leo fecisset, statim soluto laqueo, quo erat astrictus, liber euasit.

Fabula indicat, ingenium uiribus longe esse præstantius.

De psittaco ob artem exprimendi uerba humana honorato. LXXII.

PSittacus in aula regis degens, interrogabatur à cæteris auibus, quid ita in magno haberetur honore? Quibus ille: quia, inquit, exprimendi humanas uoces artē edoctus sum.

Fabula nos admonet, ut bonas & liberales ediscamus artes, si uolumus ubiq; clari honorabilesq; haberi.

De philosopho Cynico qui percussori suo argenteum dedit. LXXIII.

PHilosophus Cynicæ sectæ in iurgio colapho percussus, non solum commotus non est, uerumetiam percussorem argenteo numo donauit. Quod quum omnes qui aderant admirarentur, dicerentq; eum dignum iterum cædi: nescitis nunc, inquit, quid egerim, scietis autem postea. Haud longo post tempore percussor ille uolens quendam alium cædere, (sperabat enim aliquid fortasse lucrari) lætale uulnus accepit. Mortem igitur sibi imminere sentiens: Quanto melius, inquit, mihi fuisset colapho à Cynico repercuti, quàm numo etiam aureo donari.

Fabula indicat, delinquentibus impunitatem peccandi

potius quàm pœnam interdum, nocuisse.

De boue cornua à deo petente. LXXIIII.

BOs ægre ferebat uires inermes sibi à natura datas, quoniam armis carebat, quæ uiribus potiora putabat. Rogauit ergo Iouẽ, ut sibi cornua concedere dignaretur. Quod quum impetrasset, statim uoti sui eum cœpit pœnitere. Nam quum inermis liber esset, à nemine{q} capi posset, natis cornibus laqueo comprehensus ad arandum ducebatur, & immensos labores subire cogebatur.

Fabula indicat, nihil à deo petendum nisi quod ille nobis profuturum intelligit.

De sene à filio eiectus à domo qui duo lintea petiuit. LXXV.

VIr quidam decrepitæ senectutis, domo eiectus à filio in xenodochio degebat. Conspicatus autem filium illac iter habentem, eum rogauit, ut saltem duo lintea ex rebus suis, quas tanto sudore parauerat, sibi mitteret, qui tandem paternis precibus motus, imperat filio suo puerulo, ut expetita ad auum lintea ferret. Puer sagax et tali dignus patre, unum tantum tulit. Increpatus autem à parente, quod non duo, ut iussus erat, attulisset: seruo, inquit, alterum tibi, ut quum decrepitus in xenodochio deges, illud tibi mittam.

Fabula indicat, qua mente in parentes sumus, eadem liberos nostros in nos futuros.

De puero discere nolente. LXXVI.

PVer osor literarum in ludum literarium à patre deductus, nullis magistri blanditijs induci poterat, ut primam alphabeti proferret literam. Tum præceptor: aperi os, inquit, quod huius literæ exigit enunciatio. Ille uero hiabat, absq{q} uoce. Præceptor uidens laborem suum irritum (neq{q} enim

enim puerulum ac nouicium uerberandum censebat) iubet eum inter condiscipulos sedere, eos monens, ut illi persuadeat hanc uel saltem literam efferre. Tum condiscipuli pro uirili quisq; eum hortari, dicētes: Est ne tantus labor a dicere? At puer uersutus: non est inquit, arduum dicere a, sed si a dicerem, uellet ut b discerem & cætera. Nō erit ea uis præceptori patriq; ut discam.

Fabula indicat, nolentes discere, à nemine posse compelli.

De oue capta à cane uociferante quod à lupo capta non faciebat. LXXVII.

OVis comprehensa à cane gregis custode, maximos edebat eiulatus, capta autem à lupo, nullam emittebat uocem. Interrogata à pastore, cur ita faceret: molestius, inquit, mihi est à cane, qui mihi custos et amicus esse debet lædi, quàm à lupo, quem natura perpetuū mihi genuit inimicū.

Fabula indicat, grauiores nobis domesticorum, quàm externorum esse iniurias.

De pauone à milite pennis spoliato. LXXVIII.

PAuo apud militem, qui galeam multis struthionis pennis ornauerat, gloriabatur se multo pulchriores pennas habere, utq; id uerum esse approbaret, caudam in girum explicuit. Miles illarum pulchritudine illectus, auem capiens, eam tanto priuauit ornatu, conumq; galeæ insigniuit. Tunc secum pauo: me miserum & stultum, inquit, qui tam pretiosas res raptori ostendi, quas occultare debebam.

Fabula indicat, pretiosarum rerum ostentatione multos ad rapinas concitari.

De turdo per uiscum capto. LXXIX.

TVrdus uisco captus ab aucupe, seipsum afflictabat

dicent, Non tantum mortis dolore excrucior, quantum quod meæ res me perimunt. Aiunt enim uiscum ex turdorum stercore procreari.

Fabula indicat, homines tunc uehementer commoueri, quum rebus suis intereunt.

De auaro poma marcescentia comedente. LXXX.

VIr auarus plurima pulcherrimáq; poma collegerat, qualia in hortis Alcinoi, & Hesperidum fuisse poetæ fabulantur, quæ ita parce edebat, ut nisi corrumpi inciperent, esse non auderet. Huius filius oppidò liberalis, sodales suos ad pomaria sæpe ducebat, dicēs: Accipite ex his quæ uultis omnia, præter marcescentia: illa enim pater meus in secunda mensa semper sibi iubet afferri. Huic præcepto illi libenter obtemperabant.

Fabula indicat, homine auaro nihil esse miserius, qui alijs custodit, quæ ei deus fruenda concessit.

De auaro nimis agros custodiente. LXXXI.

VIr quidam extremæ auaritiæ emit prædia admodū feracia, & omni fructiferarum arborum genere referta, quæ priori domino amplissimos fructus reddebant, quamuis imminuta essent, et cunctis uiatoribus peruia. Ratus igitur nouus dominus, si melius coleret, & diligentius custodiret, uberiores fructus se inde capturum: optime colere cœpit, & densis uepribus ac parietibus clausit, custodesq; diligentes apposuit: uerum post hanc tam diligetem custodiam agri parum fructus illi reddebant. Consultus autem deus unde hoc accidisset: ita respondit:

Ipse mali tanti causa es, qui sepibus agros,
Parietibusq; arctis obstructos undiq; seruas:

Multa

Multa dedi quondam, quia multi multa petebant.
Vni seruit ager tibi nunc, cur tanta requiris?

Fabula indicat, liberali uiro deum multa largiri, quo multorum indigentiæ ualeat subuenire.

De malo arbore ingentia poma procreante. LXXXII.

MAlus arbor oleam irridebat, quod exiguas procreasset baccas, quum ipsa ingentia, & quæ uix sui rami ferrent, mala produxisset. Sed uehementi exorto uento, quum pomorum onere, tum ui turbinis, & poma ferè cuncta cecidere runt, & rami confracti sunt: Olea autem illæsa permansit. Tunc secum malus: quanto, inquit, melius mihi fuisset minores fœtus edidisse.

Fabula indicat, nos debere modicis rebus esse contentos, quum amplæ opes, & nimiæ diuitiæ sine ingenti periculo nequeant possideri.

De muliere à uiro uerberata quæ se mortuam simulabat. LXXXIII.

MVlier quædam à uiro multis uerberibus affecta, se mortuam simulabat, quo marito timorem incuteret: retento enim anhelitu, immobilis resupina iacebat. Vir sagax & mulieris fraudum non ignarus: bestia, inquit, mortua pelle nudanda est: arreptoq; cultro, à pedibus pellem diripere cœpit. Vxor sentiens quorsum sua tenderet simulatio, pedem retrahens, illico resurrexit.

Fabula indicat, quod uiro prudenti frustra muliebres tenduntur insidiæ.

De miluo & accipitre apud aquilã de præstantia contendentibus. LXXXIIII.

MIluus cum accipitre apud aquilam de præstantia cer

tabat, dicens, ob corporis magnitudinem sese illi præferendum. Contra accipiter, non staturam, sed uires spectari oportere, dicebat. Tunc aquila: ite, ait, uenatum, & uter uestrum digniorem mihi attulerit prædam, eum præstantiorem iudicabo. Quum autem miluus exiguum murem, accipiter uero columbã apportasset, inquit aquila, quãto columba maior est mure, tanto accipitrem miluo præstantiorem esse pronuncio.

Fabula indicat, ex operum, non corporum magnitudine homines metiendos.

De insano sapientiam uendente. LXXXV.

INsanus quidam urbes peragrans, alta uoce clamabat, sapientiam se habere uenalem. Cuidam autem oblato argenteo eam petenti, colaphum incussit, longumq; filum dedit, dicens, eris sapiens, si quousq; hoc filum protenditur, ab insanis & furiosis abfueris.

Fabula indicat, nullum cum insanis habendum esse commercium.

De porcello & testamento patris. LXXXVI.

POrcellus mortem parentum ingenti clamore deflebat: Sed quum lectis testamenti tabulis, magnum glandis aceruum, multosq; farinæ modios sibi relictos cognouisset, obticuit. Rogatus, cur non amplius fleret: farina, inquit, & glandes os mihi occluserunt.

Fabula indicat, amplas hæreditates hæredum dolori facile finem imponere.

De ouibus immoderate segetem depascentibus. LXXXVII.

AGricola conquerente, quod oues uniuersam segetem depopularentur: Iupiter eis præcepit, ut modeste depascerent. Quæ quum præceptis non obtemperarent, lupo iniunctum

inuectum est, ut oues moderate puniret. Sed pastore conquerente, totum ouium gregem à lupo occisum, Iupiter iratus uenatori imperauit, ut lupum perimeret. Quod ille impigre est executus.

Fabula indicat, nullum immoderatum esse diuturnum.

De leone partem prædæ à lupo petente. LXXXVIII.

LVpus & uulpes inita inter se societate uenatum profecti sunt, qui quum ceruum, quem ceperant diuidere uellent, superuenens leo tertiam prædæ partē sibi, ut quadrupedum regi deberi dicebat. Lupus uero negabat. Tunc excandescens leo, iniectis in lupum unguibus, totum eius caput pelle nudatum rubicundum reddidit, unde lupus uix uiuus euasit. Conuersus hinc in uulpem leo, tu uero quid dicis? Ego, inquit, mi domine rex, non tertiam modo partem, sed totum ceruum tuum esse non inficior. Ecquis, inquit leo, te ita sapienter docuit respondere? Galerus, ait uulpes, ille ruber, quem sceptro meo lupo imposuisti.

Fabula indicat, melius esse partem interdum concedere, quàm totum amittere.

De uiro uxorem non cognoscente ut felix euaderet. LXXXIX.

VIr fatuus uxorem ducturus, audiuit à uicino suo, illum futurum in pecoribus fortunatum, qui uxorem post nuptias primis tribus diebus non tangeret. Vt igitur hanc felicitatem consequeretur (erat enim pastor ouium) nocte prima uxorem non attigit, nihilóq; magis, quæ eam consecuta est. Virgo libidine incensa, quum se huc & illuc in lecto uolutaret, neq; ullis blanditijs uirum ad opus maritale posset impellere, tertia nocte maritum nil tale suspi-

cantem, & propterea alto oppressum somno, securi aggressa, duobus ictibus percusit. Quum autem interrogaretur, quid eam ad tantum facinus impulisset, infelicitas mea, inquit: existimans magnam mulierum esse infelicitatem uiros sterere, quum fodere debeant.

Fabula indicat, uxores non sinendas uirgines permanere.

De uiro sepem destruente ut inutilem. XC.

VIr quidam sepi, qua eius uinea concluſa erat, ut sterili conuiciabatur, eamq; ut nullius emolumenti excisam exusserat. Tunc uinea aperta, & pecoribus & hominibus facta peruia, à cunctis depopulata est. Dominus uineæ hoc conspicatus seipsum stultitiæ accusabat; quod sepem uuæ suæ custodem tam imprudenter amouisset.

Fabula indicat, qui res seruant, nō minus facere, quamuis ocioſi uideantur, quàm qui eas suo labore congregarunt.

De dæmone morte diuitum lætante, pauperum uero mœsto. XCI.

DAemon terrarum orbem peragrans (ut eius est mos) animaduertit iuuenē quendā parentum morte lætantem: unde totus exhilaratus est. Sed ulterius progressus fleuit, quum alium filium in funere patris mœstum intueretur. Interrogatus tam diuersorum affectuum causas, Risus, inquit, filij ex obitu parentum, significat illos diuites esse defunctos, quorum admodum rari nostras effugiunt manus. Fletus uero, paternæ est signum inopiæ. Pauperum autem regnum cœlorum ut plurimum esse consueuit.

Fabula indicat, nimias diuitias homines ad inferna deducere.

De lupo esuriente qui in cadauer bouis inciderat. XCII.

Lupus

LVpus senio confectus, quum amplius uenari non posset, magna cruciabatur fame, nec aliquem cognatum aut amicum, qui eum cibo iuuaret, poterat inuenire. Dum ergo mœstus ingentem peragraret syluam, in bouis cadauer incidit, quod uix cœperat laniare, quum non solum cæteri lupi, uerumetiam uultures, corui, & cornices illuc se contulerant, lupum orantes, ut se in amicitiam, & in partem prædæ admitteret. Tunc secum lupus: Quem pauloante fratres & filij negligebant, ecce alienigenæ animãtes nunc honore prosequuntur, & amicum expetunt. Non mihi, sed boui hunc exhibent honorem.

Fabula indicat, pauperem cunctis odiosum esse, diuitibus uero ab omnibus honorem exhiberi.

De uulpe capta & rusticum ut se dimitteret orante. XCIII.

VVlpes capta à rustico, cuius quamplurimas gallinas occiderat, blandis eum uerbis orabat, ut se dimitteret, persancte iurans, nullum ulterius damnum se illi illaturam. Cui rusticus: ignoscerem, inquit, tibi perlibenter, & te incolumem dimitterem, nisi te subdolum & fidifragum animal esse cognoscerem. A mortua nullum mihi detrimẽtum inferri posse certo scio, à uiua uero subdubito.

Fabula indicat, perfidis & fallacibus uiris nullam adhibendam fidem.

De porco læto morte inimici. XCIIII.

PORci duo erant cuidam subulco, tam immortale inter se odium, & perpetuas inimicitias habentes, ut quotidie sese dentibus lacerarent. Quum autẽ dominus unũ ex eis occideret, alter incredibili afficiebatur lætitia, uidens inimicũ suo iamiam esse moriẽdum. Paucis autem post diebus, quum

ipse quoq; ad necem traheretur, sese afflictabat, dicens, heu me infelicem, cur inimici mei cæde lætatus sum, quem tam cito eram eodem exitu secuturus.

Fabula indicat, neminem debere ne inimici quidem morte lætari, quum exploratum sit cunctis esse moriendum.

De dæmone uxorem recusante. XCV.

DAemon defuncta uxore, quam admodum morosam & difficilem habuerat, in perpetuo cœlibatu permanere decreuerat. Ingressus autem quendam hominem, ut inde exiret, nullis adurationibus ac minis poterat adduci. Tandem exorcista quum omnia prius frustra tentasset, sciens nullum uxore maius esse tormentum, minatus est, nisi egredetur se uxorem illi daturum. Tum dæmon alta uoce clamauit, egredior, egredior: noli me iugalibus uinculis irretire, statimq; exiuit.

Fabula indicat, difficili et morosa uxore nihil esse miserius.

De muribus tintinabulum feli suspendere uolentibus. XCVI.

MVres in unum conuenientes, consultabant, quo ingenio, quaue arte felis insidias possent euitare. Tunc qui cæteros & ætate, & rerum usu anteibat, reperi inquit uiam, quæ nos à tantis periculis incolumes conseruabit, si mihi parêre uolueritis. Suspendamus collo eius tintinabulum, cuius sonitu uenientem aduersus nos felem sentire possimus. Tunc omnes uoce consona sententiam illius ut saluberrimam laudauerunt, itaq; faciendum esse dixerunt. Surgens autem quidam senior, imperato silentio: Ego quoq; inquit, istam sententiam approbo. Sed quis erit qui collo felis tintinabulum suspendere audeat? Quum autem omnes hanc prouinciam subterfugerent, irrita sententia fuit.

Fabula

Fabula indicat, multos quæ facienda sunt laudare, sed qui ea facere uelint, paucos reperiri.

De milite timente includi in oppido obsidendo ob auxilia à longe uentura. XCVII.

MIles quidam prudēs inuitatus à commilitonibus fuit, ut cuidam Italiæ opido, quod ad regem Gallorum defecerat, unà cum eis uellet esse præsidio: si proprius, inquit, loci dominus oppidum obsidebit, quis nobis suppeditabit auxilium? Tunc illi: rex, inquiunt, Gallorum. Miles tumulum quendam conscendens, ô rex Gallorum, ter alta uoce clamauit. Quum autem nullum sibi redderetur responsum, conuersus ad inuitantes: nolo, inquit, illuc accedere, ubi qui mihi suppetias daturus est, auxilium implorantem non audiat. Cæteri, qui illuc accesserunt, à proprio oppidi domino obsessi, expugnato oppidò, capti & iugulati sunt.

Fabula indicat, stultos & amentes esse, qui sese periculis imprudenter obiiciunt.

De bobus sperantibus pascere qui ad arandum ducti sunt. XCVIII.

BVbulcus stabulum ingressus, boues lætitia exultantes aspexit: interrogauit igitur eos, quæ nam esset causa lætitiæ? Cui illi, speramus, inquiunt, hūc diem absq; labore in lætissimis pascuis nos esse ducturos. Quid uos, inquit bubulcus, ut ita credatis induxit? Ita, inquiunt, fore somniauimus. Nolite, ait bubulcus, huiusmodi somnio fidem adhibere, quod falsum esse deprehendetis: Ego enim somniaui uos hodie araturos: hominum enim somnia quàm brutorum ueriora esse consueuerunt.

Fabula indicat, nihil mortalium spe esse fallacius.

De uiro qui se felicitatis suæ causam, infe-

licitatis uero fortunam esse dicebat. XCIX.

VIr quidã auaritiæ deditus, quum audiret, nihil mercatura esse lucrosius, diuenditis paternis bonis, nauigare cœpit, prosperaq; usus fortuna, breui maximas diuitias congregauit: interrogatus autem ab amico, quomodo tam paruo temporis curriculo tot opes coaceruasset: mea, inquit, industria. Sed quum non contentus tot ac tantis, quas parauerat, diuitijs ditior nauigatione fieri uellet, bis, terq; naufragio facto, amissis opibus, ad summam inopiam redactus est. Qui deinde interrogatus, quid eum paulo ante tantis rerum omnium copijs affluentem ad tãtam paupertatem redegisset: fortuna, respondit. Quod fortuna audiens uehementer indoluit, ingratum eum appellans, qui bonorum se causam, malorum uero uolebat esse fortunam.

Fabula indicat, improbe eos facere, qui felicitatis causam suæ industriæ, aduersitatis autem fortunæ adscribunt.

De fœmina maritum ob pullos male seruatos uerberante. C.

FOemina quædam uirilis animi, maritum meticulosum & insulsum multis affecerat plagis, quia unum ex pullis gallinaceis, quos abiens ei seruandos reliquerat, miluus abstulerat. Quare uxore iterum absente, ne quem pullorum, quibus datus hærebat custos, auis inimica posset eripere, uniuersos eodem filo ligatos diligentius custodiebat. Sed quum ex improuiso miluus aduenies unum unguibus rapiens uellet auferre, omnes pariter per inane portauit. Infelix maritus memor ob unum pullum amissum se ab uxore male mulctatum, multo grauiora cœpit formidare. Satius ergo mori esse duxit, quàm iterum uxoris iram experiri. Ficus quasdam mel

le

le & aromatibus optime conditas uasculo fictili mulier prudens condiderat, marito insulso, cuius gulam timebat, monito, ne quid inde esset, quum præsentaneum uenenum lateret in uasculo. Maritus mori cupiens, ficus comedit uniuersas, ratus eam optimam moriendi, & uxoris iram euadendi uiam esse. Rediens mulier, quum pullos omnes à miluo ereptos esse cognosceret, sumpto ingenti baculo, maritum malum pullorum custodem uerberare decreuerat. Cui insipiens maritus, noli inquit, uxor me iamiam moriturum uerberare. Omne enim uasculi uenenum comedi, ut errati pœnas luam. Tunc mulier ira in risum uersa marito ignouit, qui pro pullis male seruatis, alio pacto ei satisfecit.

Fabula indicat, aduersus insipientes nullum idoneum esse remedium.

LAVRENTII VALLAE

IN XXXIII. FABVLARVM Aesopi uersionem è Græco in Latinum sermonem, ad clarissimum uirum Renaldum Fonaledæ, Præfatio.

PROMISERAM nuperrime tibi coturnices, quas ipse uenatus essem, missurus. Eas capere ut homo uenandi insuetus, cum non possem, ad uenationem meam, id est, literas me conuerti, & fortè ad manus uenit libellus Græcus, ex præda nauali treis & triginta Aesopi fabellas cõtinens,

has omnes bidui labore uenatus sum. Mitto igitur ad te siue fabellas, siue mauis coturnices, quibus oblectare te possis ac ludere. Etenim si Octauianum & M. Antonium orbis terrarum principes ludo coturnicum delectatos accepimus, profecto tu uir literarum amantissimus literato hoc genere ludendi delectaberis, & si quis Octauiano aut Antonio pugnacem aliquam harũ auium dono dedisset, iucundam illis rem gratamq; fecisset. Ego quoq; tibi iucundus gratusq; ero, quòd plus triginta eius generis aues dono mitto, pugnaces, uictrices, & si forte hoc te magis iuuat, & pingues, oblectant enim hæ fabulæ bellæ, et alũt, nec minus fructus habent, quàm floris. Sed ne donum suum laudare insolentis sit, finem faciam. Tu si coturnices ueras quàm has fabulas malis, rescribe: mittam nanq; non modo coturnices, sed & perdices. Vale, Ex urbe Caieta Calend. Maij.

De uulpe & capro.

VLPES & caper sitibũdi in puteum descenderunt, in quo cum perbibissent, circumspicienti reditum capro, uulpes ait: Bono animo esto caper. Excogitaui nanq; quo pacto uterq; reduces simus. Siquidem tu eriges te rectum, pioribus pedibus ad parietem admotis, cornuaq; adducto ad pectus mento reclinabis, & ego per terga cornuaq; tua transiliẽs, & extra puteum euadens, te istinc postea educam. Cuius cõsilio fidem habenti

habenti capro, atq; ut illa iubebat obtemperanti, ipsa è puteo prosiliit, ac deinde præ gaudio in margine putei gestiebat exultabatq;, nihil de hirco curã habens. Cæterũ cum ab hirco ut fœdifraga incusaretur, respondit: Enimuero hirce, si tantum esset tibi sensus in mente, quantum est setarum in mẽto, non prius in puteum descendisses, quàm de reditu exploratum habuisses.

Hæc fabula innuit, uirum prudentem debere finem explorare, antequam ad rem peragendam uenat.

De uulpe & leone.

VVlpes nullum antea leonem conspicata, cum illi alternus ex improuiso obuiasset, ita aspectu eius expauit, ut parum abfuerit quin extingueretur. Quod cum iterum postea accidisset, ad aspectum quidem leonis est exterrita, sed non ita ut prius. Tertio autem cum leonem eundem esset intuita, non modo non exterrita, sed etiam fidenter adiit, secum collocuta est & confabulata.

Hæc fabula innuit, quod consuetudo & conuersatio facit, ut quæ maxime horribilia & formidanda sunt, neq; horrida, neq; formidolosa uideantur.

De gallo & perdice.

GAllos quidã domi suæ cum haberet, mercatus est perdicem, eamq; alendam, & in societatem gallorum dedit unà cum illis saginandam, eamq; galli pro se quisq; mordicabant, abigebantq;. Perdix autem apud se afflictabatur, existimans ideo talia inferri sibi à gallis, quòd suum ab illorum genere alienum esset. Vbi uero non ita multo post aspexit illos inter se pugnantes, mutuoq; percutientes, recreata à mœrore inquit: Equidem posthac non afflictabor amplius, uidens eos inter se dimicantes.

Hæc fabula innuit, uirum prudentem debere æquo animo ferre contumelias ab alienigenis illatas, quos uident ne à domesticorum quidem iniuria abstinere.

De uulpe & capite reperto.

VVlpes aliquãdo in domum citharœdi ingressa, dum omnia instrumenta musica, omnemq; suppellectilem scrutaretur, reperit è marmore caput sciter fabrefactum. Quod cum in manus sumpsisset, inquit, ô caput cum magno sensu factum, nullum sensum obtinens.

Hæc fabula ad eos spectat, qui corporis dignitatem habent, animi industriam non habent.

De carbonario & fullone.

CArbonarius conducta in domo habitans, fullonem inuitauit, qui eo loci proxime uenisset, ut eisdem in ædibus unà habitarent. Ad quem fullo: O homo, non est istud factum conducibile, uereor enim ne quicquid candificarem, id omne tu carbonaria aspergine fuscares.

Hæc fabula innuit nullum cum flagitiosis habendum esse commercium.

De uiro iactabundo.

VIr quidam aliquandiu peregrinatus, cum iterum domum reuersus fuisset, cum multa alia in diuersis regionibus à se uiriliter gesta iactabũdus prædicabat, tum uero id maxime, quòd Rhodi omnes in certamine saliendi superasset, eiusdem rei Rhodios qui affuerunt testes esse. Ad quem unus astantium respondens, inquit: ô homo, si uerum istuc est quod loqueris, quid tibi opus est testibus? Ecce hic Rhodus, ecce hic certamen saliendi.

Hæc fabula innuit, quod ubi rerum testimonia adsunt, nihil opus est uerbis.

De

De uiro Apollinem tentante.

VIr quidam facinorosus Delpho se contulit, Apollinem tentaturus, habens q̃ passerculũ sub pallio, quem pugno tenebat, & accedens ad tripodas interrogabat deum, dicens: Quod habeo in dextra, uiuit ne, an mortuum est? prolaturus passerculũ mortuum, si ille uiuũ respondisset: occidisset enim statim sub pallio clam, prius quàm proferret. At deus subdolam calliditatem hominis intelligens, dixit: O consultor, utrum mauis facere (penes te enim arbitriũ est) facito, & siue uiuum, siue mortuũ, quod in manibus habes proferto.

Hæc fabula innuit, mentem diuinam nihil neq; latere, neq; fallere.

De piscatore.

PIscator quidam demissis in mare retibus, extulit smaridem pusilli corporis, quæ sic piscatorem obsecrabat: no lime in præsentiarum capere pusillam & minutam, sine abire et crescere, ut postea sic adulta commodo maiore potiaris. Cui piscator inquit: Ego uero amens sim, si lucrum quod inter manus habeo, licet exiguum, prætermittam spe futuri boni quantumlibet magni.

Hæc fabula innuit stolidum esse, qui propter spem maiorem rem præsentem & certã, licet paruam, non amplectitur.

De equo & asino.

VIr quidam habebat equum & asinum. In itinere autem faciendo inquit asinus equo: Si me saluum uis, releua à me partem oneris mei. Equo illius uerbis non obsequente, asinus sub onere cadens moritur. Tunc dominus iumentorum omnes quas portabat asinus sarcinas, simul q̃ corium, quod à mortuo exuerat, equo imponit. Quo onere depressus equus, & gemens cũ clamore inquit: Væ mihi iumento

torum infelicissimo, quid mihi misero mali euenit? Nam recusans partem, nunc totum onus porto, insuper & illius coriũ.

Hæc fabula innuit, maiores debere in laboribus participes esse minoribus, ut utriq; incolumes sint.

De uiro & satyro.

VIr quidam cum satyro amicitiam inierat, qui quum edendi gratia sederent, exorta cœli tempestate ac frigore, uir manus ad os admouens, anhelitu refocillabat. Quod mouens satyrus, interrogabat quamobrem id faceret. Ille inquit, calore oris algentes manus refocillo. Paulóq; post calidiori edulio allato, cum uir iterũ ad os manum cum edulio admouens, calorem cibi tenui inspiratione refrigeraret, interrogabat satyrus, quamobrem & id faceret. Respondẽte autem uiro, ut refrigeret edulium. Atq; ego, inquit satyrus, tecum posthac amicitiam non exercebo, qui ex uno ore & calidum promis & frigidum.

Hæc fabula innuit, deuitandam eius amicitiam esse, cuius anceps uita est, & non simplex sermo.

De uulpe & pardo.

VVlpes & pardus de pulchritudine altercabantur: & pardo suam uersicolorem pellem extollente, uulpes eum suam proponere non posset, inquit: At quãto ego speciosior, quæ non corpus, sed animum uersicolorem sortita sum.

Hæc fabula innuit, pulchritudinem animi antecellere pulchritudini corporis.

De fele in fœminam mutata.

FElis quædam delicium formosi erat cuiusdam adolescentis. Hanc ille ut in fœminam mutaret, Venerem deprecatus est. Dea misertæ cupiditati adolescentuli, conuertit bestiam in speciosam puellam, cuius forma inardescens adolescentulus

scentulus, adducit illam secum domum. Quibus consedentibus in cubiculo, Venus uolens periculum facere, nunquid illa cum corpore mutasset & mores, murem immisit in mediũ. At illa & eorum qui aderãt, & cubiculi nuptialis immemor, è cubiculo surgens, murem insequebatur illum comedere cupiens. Tunc dea indignata, iterum in suam restituit naturã.

Hæc fabula innuit sceleſtos homines, etsi conditionem statum q; mutent, tamen mores nequaquam mutare.

De agricola & canibus.

AGricola quidam hyberno sidere in agro deprehensus, deficientibus cibarijs, primum interfectis singulis ouibus, illarum carnibus uescebatur, mox & caprarum, postremo operarijs bobus interemptis alebatur. Quod canes cum animaduertissent, inter se collocuti sunt, dicẽtes: At nos hinc faciamus fugam, si enim operarijs bobus dominus noster non pepercit, ne nobis quidem parcet.

Hæc fabula innuit, fugiendos eos esse cauendosq;, qui à familiaribus quoq; manus non abstinent.

De agricola fœuiente in filios.

AGricola filios suos uidens quotidie delitigantes, neq; in gratiam inter se reducere potis esset, iussit fasciculum uirgarum sibi afferri, aderant autem filij illic sedentes. Quæ cum allatæ essent, colligauit omnes in unum fasciculum, iussitq; singulos filiorum fasciculũ capere atq; confringere. Illis uero confringere non ualentibus, soluens postea fasciculum, tradidit singulas uirgas eis frangendas. Atq; illis statim facileq; frangentibus, intulit: Ita & uos filij mei, si perse ueraueritis unanimes, præsliteritis inexpugnabiles uos hostibus, inuictosq; præbebitis. Sin minus, ipsa uestra æmulatio atq; seditio opportunam uos prædam inimicis faciet.

Hæc fabula innuit, æque res humanas facere, uel à concordia incrementum, uel discordia iacturam.

De muliere & gallina.

MVlier quædam uidua habebat gallinam quotidie singula oua parientem, sperans autem pro singulis bina oua parituram, si plus tribuisset escarum, opipare edueabat. Gallina uero pinguior effecta, ne unum quidem ouum partu rire poterat,

Hæc fabula innuit, quod homines propter luxum & copiam rerum marcescentes, ab instituto retardantur.

De homine quem canis momorderat.

ADmorsus à cane quidam, circuibat singulos corrogẽs curationem, nactusq; quendam, qui cognita mali qualitate, inquit: Si tu quidem homo conualescere uis, sume crustulam panis madefactam in sanguine uulneris, porrige cani qui te momordit, comedendam. Cui ille deridens inquit: Ego me hercle si isthuc fecero, dignus sum qui ab omnibus huius urbis canibus mordear.

Hæc fabula innuit, improbos homines, cum maxima beneficia acceperint, tum maxime ad maleficia animari.

De duobus amicis & urso.

DVobus amicis unà iter facientibus, fit ursus obuiam, quorum unus perterritus, in arborem scandens latuit: alter uero cum se imparem urso fore, & si pugnare uellet, sit peratum iri intelligeret, prodiens simulabat se mortuum esse. Vrsus autem aduenies, aures & occipitium olfaciebat. Illo, qui stratus iacebat, usq; continente respirationẽ, ita mortuum esse credens ursus abijt. Aiunt enim ursum non sæuire in cadauer. Mox alter, qui inter frondes arboris latuerat, descendens, interrogat amicum, Quidnam ad aurem ursus secum

cum esset locutus. Cui amicus inquit: Admonuit me, ne posthac cum huiusmodi amicis iter faciam.

Haec fabula innuit, deuitandos eos amicos, qui periculoso in tempore ab auxilio praestando reuocant pedem.

De adolescentibus & coquo.

DVo adolescentes obsonium à coquo mercati communiter erant. Caeterum cum coquus quibusdam negotijs domesticis intenderet uacaretq́, alter adolescentium partem obsonij in alterius sinum immisit. Conquerenti, qui carnem abstulerat, iurabat se non habere. Qui uero habebat, iurabat se non abstuliſſe. Quibus coquus, intellecta adolescentum astutia, inquit: Et si me latet fur, tamen eum, quem iurastis deum, non latebit.

Haec fabula innuit, quod si homines celamus, deum nequaquam celare poterimus.

De arundine & olea.

DIsceptabant arundo & olea de constantia, de fortitudine & de firmitate, & olea quidem probra arundini ingerebat, ut fragili & ad omnem uentum uacillanti. Arundo autem obticebat, non longũ tempus expectans. Nam cum uẽtus uehemẽs ingruisset, arundo agitabatur, reuellebaturq́. Olea uero cũ uiolẽtiæ uentorũ reluctari uellet, cõfracta est.

Haec fabula innuit eos, qui ferocioribus ad tempus cedunt, potentiores esse ijs qui non cedunt.

De tubicine.

ERat tubicen qui in militia signum caneret. Is interceptus ab hominibus ad eos qui circumsistebant proclamabat: Nolite me ô uiri, innocuum insontemq́ occidere, nullum ego unquam occidi. Quippe nihil aliud quàm hanc tubam habeo. Ad quem illi uicissim cum clamore respondẽrũt:

Tu uero hoc ipso magis trucidaberis, quòd cum ipse dimicare nequeas, cæteros potes ad certamen impellere.

Hæc fabula innuit, quod præter cæteros peccant, qui malos & importunos principes persuadent ad inique agendum.

De aucupe & uipera.

AVceps quidam sumptis aucupatorijs retibus, ad uenandum processit, uisóq; palumbo in cacumine arboris sedente, compositas artificiosè arundines cum reti ad auem clanculum admouebat, sperans illam se uenari posse. Quod cum agit, in altum intuens, iacentem uiperam pedibus presit, quæ exasperata dolore hominẽ momordit, at ille iam diffidens uitæ, Me miserum, inquit, qui cum alterum uenari uolo, ipse ab altero captus pereo.

Hæc fabula innuit, fraudulentos homines insidias suas occultare, sæpe tamen ab alijs idem sustinere.

De castore uirilia sibi amputante.

CAstor præter cæteros quadrupedes in aqua durare dicitur, eiusq; genitalia ad artem medicam sane utilia esse. Tunc ubi uidet indagantibus hominibus se captum iri (nõ enim ignorat quamobrẽ indagetur) ipse sibi genitalia præcidit, eaq; ad insequẽtes proijciẽs, hoc modo incolumis euadit.

Hæc fabula innuit, huius exemplo prudentes debere pro adipiscenda salute, nullam rationem habere fortunarum.

De thynno & delphino.

THynnus cum delphinum insequentem præcipiti cursu fugeret, & iamiam capiẽdus esset, in anfractum quendam se intrusit. Delphinus quoq; ad alterum simlem impetu ipso illisus est, ad quem thynnus respiciens, iamq; expirantem uidens, inquit, iam mihi mors non est molesta, uidẽs eum qui mihi causa mortis est, mecum morientem.

Hæc

Hæc fabula innuit, æquo animo ferre homines calamitates, cum eos propter quos in calamitate sunt, calamitosos aspiciunt.

De cane & lanione.

CAnis quidam insilijt in macellum, lanio in aliqua re occupato, & erepto pecoris corde, fugiebat: ad quem lanius conuersus, fugienteḿq; aspiciens, inquit, ô canis, ubicunq; fueris te obseruabo, non enim sustulisti, sed mihi cor dedisti.

Hæc fabula innuit, iacturam semper esse hominibus doctrinam.

De uate quodam.

VAticinator quidam in foro sedens sermocinabatur, cum quidam sibi denunciat fores domus effractas esse omniáq; direpta quæ in domo fuissent. Ad quod nuncium uaticinator gemens, properanśq;, cursu se domum recipiebat. Quem currentem quidam intuens, ô tu inquit, qui aliena negocia tè diuinaturũ promittis, certe tua nõ diuinasti

Hæc fabula ad eos spectat, qui res suas non recte administrantes, alienis quæ nihil ad nos pertinent, prouidere & consulere conantur.

De ægroto & medicõ.

AEgrotus quidam à medico interrogatus, quo nam mõdo se habuisset, præter modum, inquit, in sudorem se fuisse resolutum. Cui medicus, istud, inquit, bonum est. Altero autem die iterum interrogatus quonam modo se haberet, respondit, algoribus correptus, diu uexatus sum: & id quoq; medicus inquit, bonum est. Tertio cum ab eo medico interrogaretur, respondit, profluuio corporis debilitatus sum. Istud etiam bonum est, inquit medicus. Postea autem à familiari

quodam interrogatus, quomodo habes ô amice? respondit, etiam at & etiam bene habeo, sed morior.

Hæc fabula innuit, arguendos assentatores.

De asino & lupo.

ASinus calcato ligni aculeo claudicabat: conspectoq; lupo, ait: O lupe, en præ cruciatu morior futurus esca aut tua, aut uulturum, aut coruorum. Vnum modo abs te munus flagito: Educ prius de pede aculeum, ut moriar sal tem sine cruciatu. Tunc lupus summis dentibus aculeū mor dicus prehendens eduxit. Asinus uero doloris oblitus, ferra tos calces in faciem lupi impegit, fractisq; illius fronte, nari bus, dentibus, aufugit, lupo seipsum accusante ac merito sibi id deuenisse dicente, quod qui didicerat esse lanius iumento rum, nunc illorum uolebat esse chirurgus.

Hæc fabula innuit, quod qui sua artificia deserunt, trans ferentes se ad alia ipsis non apta, & in derisum ueniunt, & in discrimen.

De aucupe & merula.

AVceps tetenderat uolucribus retia, quod eminus in tuens merula, percontabatur hominem quid negotij ageret. Ille respondit se condere urbem, abijtq; longius, & se se abdidit. Merula uero illius uerbis fidem habens, & ac cedens ad escam iuxta retia appositam capta est, accurenteq; aucupe, inquit: ô homo, si tu quidem talem urbem cōdis, haud multos iuuenes habebis incolas.

Hæc fabula innuit, eo maxime modo rem priuatam & rem publicam destrui, cum præsides sæuitiam exercent.

De uiatore & pera inuenta.

VIator longum ingressus iter, uouit si quid inuenisset, eius dimidium Ioui se oblaturum. Inuenta autem pe-

sica

ſtea in itinere pera, palmularum amygdalarumq; plena, comedit omnes palmulas amygdalasq;. Sed harum nucleos, illarum putamina & cortices ad aram quandam obtulit, inquiens: Habes Iupiter quod tibi uoueram, quod enim inueni, eius & interiora & exteriora tibi offero.

Hæc fabula innuit, auarum propter pecuniæ cupiditatem etiam dijs moliri fallacias.

De puero & matre.

PVer quidam in ſchola condiſcipuli furatus tabellam alphabetariam, attulit matri ſuæ, à qua non caſtigatus, quotidie magis furabatur. Procedente autem tempore recepit furari maiora. Tandem à magiſtratu deprehenſus ducebatur ad ſupplicium. Matre uero ſequente ac uociferante, rogauit ille ſatellites, ut pauliſper cum ea ad aurem loqui permitterent: quibus permittentibus, & matre feſtinabunda aurem ad os filij admouente, ille auriculam matris dentibus euulſit, & cum mater cæteriq; increparent, non modo ut furem, ſed ut in parentem ſuam impium, inquit: Hæc mihi ut perderer cauſa extitit. Si enim me tabellam alphabetariam furatum caſtigaſſet, nequaquam ad ulteriora progreſſus, nunc ad ſupplicium ducerer.

Hæc fabula innuit, quod qui inter initia peccãdi non coërcentur, ad grauiora flagitia euadunt.

De paſtore artem nauticam exercente.

PAſtor in loco maritimo gregem paſcebat, qui cum uideret mare tranquillum, inceſſit cupido nauigationem faciendi ad mercatum. Itaq; uenundatis ouibus, emptiſq; palmarum ſarcinis nauigabat. Oborta autem uehementi tempeſtate, & naui mergi periclitante, omne pondus nauis in mare deiecit, uixq; euaſit exonerata naui. Paucis poſt diebus

ueniente quodam & tranquillitatem maris admirante (erat enim sane tranquillũ) respondens, inquit: Palmulas iterum uult, quantum intelligo, ideoq; immotum sese fore ostendit.

Hæc fabula innuit, eruditiores effici homines damno atq; periculo.

De filio cuiusdam senis & leone.

Filium senior quidam habebat unicum generosi animi & uenaticorum canum amatorem, hunc per quietem uiderat à leone trucidari. Territus, ne forte somnium hoc aliquando sequeretur euentus, extruxit domum quãdam quàm politissimam, & laquearibus ac fenestris amœnissimam. Illuc inducens filium, assiduus illi custos inhærebat. Depinxerat enim ea in domo ad oblectationem filij, omne animalium genus, in quibus & leonem. Adolescens hæc inspiciens, eo amplius molestiæ contrahebat. Quadam autem uice propius stans leoni, inquit: ô truculentissima fera, propter inane somnium patris mei in hac domo asseruor uelut in carcere. Quid tibi faciam? Et hæc dicens, manum parieti incussit, oculum leoni eruere uolens, & in clauo qui illic latebat offendit, qua ex percussione manus emarcuit, succreuit'q; sanies, & febris subsecuta est, breui'q; tempore adolescens est mortuus. Ita leo adolescentem occidit, nihil adiuuante patris sophismate.

Hæc fabula innuit, quæ uentura sunt deuitare posse neminem.

De caluo crines externos gerente pro natiuis.

Caluus quidam mentitos crines gerens, dum equo uehebatur, ecce sibi ualidior uentus illos de capite sustulit. Risus statim magnus à circumstantibus excitabatur, & ille mutuo risu ad illos inquit: Quid mirum si crines, qui non

erant

erant mei, à me receſſerint? illi quoq; receſſerunt, qui mecum fuerant nati.

Hæc fabula innuit, non debere nos mœrere ob amiſſas opes. Quod enim naſcentes à natura non accepimus, id non poteſt nobiſcum perpetuo permanere.

FINIS.

AESOPI FABVLATORIS CLARISSIMI APOLOGI

è Græco Latini per Rimicium facti.

Argumentum.

ESOPVS fabulator clariſsimus, natione quidem Phrygius, fortuna uero ſeruus fuit, colore niger ac facie ſupra modum deformis. Is quia beneficus ſemper in hoſpites fuit, dea hoſpitalis in ſomnis ſibi aſſiſtens, largita eſt loquelam (nam ab initio blatero fuit) ſapientiamq; , ac uariarum fabularum inuentionem, quæ porrò fabulæ non parum conducunt mortalium uitæ, nam animalia bruta fingit agere ea quæ hominum ſunt actiones, quas ita ante oculos ponit, ut audientium animos incitent ad uirtutem, nec ulli ſunt hominum mores, quos in brutis fingendo ipſe non aperiat. Has igitur fabulas ſi quis rite guſtauerit, quam uiam ſequi, quamq; uitare debeat, in priuatis publicisq; ne-

gocijs facile comperiet. Nam in primis fabulam narrat, tum quid fabula significet, compendiosius exponit, atq; ordinem alphabeti in Græco secutus, qui in Latino seruari non potest, hinc sumit initium.

De aquila & uulpe.

AQuila & uulpes conflata inter se amicitia, in proximo habitare constituunt, firmiorem amicitiam ex frequenti conuersatione fore putantes. Igitur aquila nidum alta super arbore instituit. Vulpes uero arborem inter dumeta propter catulos collocat. Vna igitur dierum cum uulpes latibulum egressa pastum catulis quæreret, aquila & ipsa cibi indiga in latibulum deuolans, uulpis catulos arripuit, ac pulis suis comestum præbuit. Vulpes rediens cognita filiorum morte, ualde tristata est, & cum aquilam ulcisci non posset, quia quadrupes esset, uolucrem persequi nequibat, quod unũ miseris ac impotentibus datur, aquilam execratur, ac mala multa illi imprecata, tãtum in odium uertitur amicitia. Contigit igitur illis diebus ruri capras immolari, cuius frustum unà cum carbonibus accẽsis aquila arripiẽs, sustulit ad nidũ, sed uento uehementius spirante, nidus qui ex fœno ac materia exili aridáq; confectus erat, incẽditur. Aquilæ pulli flammam sentientes, cum adhuc uolare nequirent, humi decidebant. Vulpes continuo illos arripiẽs, coram aquila deuorat.

Fabula significat, quòd qui amicitiam uiolant, quamuis illorum quos læserunt ultionem declinent, dei tamẽ supplicia uix unquam effugiunt.

De aquila & coruo.

AQuila celsa ex rupe deuolans, agnum ex omni grege arripuit, quam rem coruus conspicatus, æmulatione motus

motus, cum ingenti strepitu ac stridore deuolat in arietem, atq; ungues in arietis uellus ita implicat, ut inde etiam motu alarum se explicare non posset. Hunc pastor, cum ita implicitum uidet, accurrens coruum comprehēdit, & alarum pennis incisis, pueris suis ut colludant tradit. Verum dum quidam coruum rogaret, quænam uolucris esset, coruus ait: Primum quidem quo ad animum aquila fui, nunc uero me coruum esse certo scio.

Fabula significat, quòd qui supra uires quippiam audet, hoc solum efficit, quòd in aduersa sæpius incidit, ac se uulgo ridiculum exhibet.

De aquila & crabrone.

AQuila leporem persequebatur, at lepus auxilij inops, quem tempus obtulit, crabronem uidens, ab eo auxilium implorauit, cui crabro pollicitus est tutelam ac custodiam suam. Deinde cum aquilam appropinquantem crabro conspicatur, eam precatur, ne suum eripiat sibi seruum. At aquila crabronis paruitatem contemnens, eo coram leporem exedit. Verum crabro suæ iniuriæ memor, ubi aquila nidificaret, obseruat. Ecce aquila oua parit, crabro alis elatus, ad aquilæ nidum uolat, atq; oua deuoluens humi deijcit: Aquila iactura ouorum mœrore concita, euolat ad Iouem (est enim ales deo illi sacrata) ac locum ad pariendum sibi tutum dari precatur. Iupiter ei concedit, ut cum tempus adest, eius in sinu pariat oua. Hoc crabro prouidens globum è stercore conficit, atq; sursum euolans in Iouis sinum demisit. Iupiter uolens è sinu globum excutere, oua aquilæ simul excussit. Ex tunc aiunt aquilam nunquam parere, quo tempore crabrones existunt.

Fabula significat, quod nullus porrò est contemnendus,

quoniam nemo est qui iniuriam accipiat, quin cum tempus datur, se ulcisci non quærat.

De philomela & accipitre.

PHilomela, cum alta quercu sederet, more suo sola cane bat, eam accipiter cibum quæritans cum intuetur, repente euolat, illamq; rapit. At philomela cum se interitum iri uidet, accipitrem precatur, ut se missam faciat, quoniam ad explendum eius uentrem ipsa satis minima sit, sed pro saturitate sua, ad maiores aues ut se uertat, opus profecto fore. Eam accipiter torue conspiciens, ait: Stultus equidem nimium essem, si quem manibus teneo cibum, illum dimitto amplioris spe pastus.

Fabula significat, quod qui omittunt id quod manu tenẽt rerum maiorũ spe, consilio inopes ac ratione nimium sunt.

De uulpe & trago.

VVlpes & tragus sitientes in puteum descenderunt. Verum enim post potum, cum egressum conspiceret hircus, uulpes ei comiter ait: Bono sis animo, nam quid saluti nostræ opus sit, probe animaduerti. Si enim rectus stabis, ac pedibus anterioribus, cornibúsue muro adhærebis, tuas ego scapulas cornuaq; conscendens, cum egressa puteum fuero, te manu comprehendens hinc desuper traham. Huic caper prompte deseruiuit. Vulpes suo exultans egressu, circa os putei capro illudebat. At dum caper illam incusat, sibi pacta haud seruasse, ei facete uulpecula inquit: Si ea caper sapientia præditus esses, quo pilorum ornatu isthæc tua barba referta est, non prius in puteum descendisses, quàm egressus pensiculate uidisses.

Hæc fabula significat, quòd homines consilio præditi rerum finem prius inspiciunt, quàm dent operã rebus gerẽdis.

De

De uulpe & leone.

VVlpes quæ nunquam uiderat leonem, quum illi forte obuiaſſet, ſic pertimuit, ut mortem penè obiret. Rurſum illum quum aſpexiſſet, pertimuit: ſed minime ut primum. Eum tertio cum intuetur, propè accedens, fuit auſa coràm diſſerere.

Fabula ſignificat, quòd rerum terribilia uſus & conſuetudo domeſtica facit.

De cato & gallo.

CAtus cum gallum cepiſſet, atq; cauſam quæreret, qui eum comedere poſſet: illum criminari cœpit, quod eſſet animal turbulentum, qui noctu clamitando haud permitteret quieſcere mortales. Gallus ſe excuſabat, quod id ageret ad eorum utilitatem, quum ad opera facienda illos excitaret. Rurſum catus ait, impius es ac ſupra modum ſceleſtus, qui agis continuo contra naturam, cum nec à matre, nec à ſororibus te abſtineas, ſed per incontinentiam cum illis te commiſceas. Gallus item defendebat quod domini ſui quæſtus gratia id quoq; ageret, enimuero ex huiuſmodi coitu gallinæ pariunt oua. Tunc inquit catus, Excuſationibus licet abundes, ego tamen ieiunare haud intendo.

Fabula ſignificat, quod qui prauus exiſtit natura, cum ſemel delinquere animo propoſuit, quamuis cauſæ deſit prætextus, à prauitate tamen non deſiſtit.

De uulpe ſine cauda.

VVlpes ut è laqueo euaderet, abſciſſa cauda, cum è pudore uitam ſibi mortem putaret, excogitauit alias dolo inducere uulpes, ut ſub communis commodi ſpecie ſibi ſingulæ caudam abſcinderẽt, & ſic ſuum dedecus leuaret. Itaq; ad unum uulpibus congregatis ſuadet, ut caudam ſibi abſcin

dant, differens caudam non modo dedecori uulpibus esse, sed oneri graui atq; inepto. E uulpibus una ei facete respondit: Heus soror, si res ista tibi soli conducit, tum non itidem alijs consulere est æquum.

Hæc fabula ad eos spectat, qui sub charitatis specie suum commodum consulendo prospiciunt.

De piscatore & smaride pisciculo.

PIscator quod mari rete tetendit, eo smarida cepit pisciculum, quæ parua adhuc ætate piscatorem orabat, ut dum grandis esset, atq; maiorem quæstum ex ea assequi posset, eam uita donaret. Huic piscator lepide respondit: Ego quidem mente carerem, si quod minimum mihi est lucrum, id dimitterem amplioris spe quæstus.

Fabula significat, quod certa pro incertis, quamuis in eis magna insit spes, stultum est dimittere.

De uulpe & rubo.

VVlpes cum sepem quandam ascenderet, ut periculum uitaret, quod sibi imminere uidebat, rubum manibus comprehendit, atq; uolam sentibus profudit, & quum grauiter saucia foret, gemens inquit ad rubum: ut me iuuares cum ad te confugerim, tu deterius me perdidisti. Cui rubus, errasti uulpes, ait, quæ pari dolo me capere puta sti, quo cætera capere consueuisti.

Fabula significat, quod stultum est implorare auxilium ab illis quibus à natura datum est obesse potius quàm alijs prodesse.

De uulpe & crocodilo.

VVlpes & crocodilus de nobilitate contendebant, cum crocodilus multa pro se adduceret, ac supra modum se iactaret de splendore progenitorum suo-

rum,

rum, uulpes ei subridens ait: Heus amice, etsi hoc tu quidem non dixeris, ex tuo corio clare apparet, quod multis iam annis tuorum splendore fuisti denudatus.

Fabula significat, quod homines mendaces res ipsa potissimum fefellit.

De uulpe & uenatoribus.

VVlpes uenatores effugiens, ac per auia currendo iam defessa hominem casu reperit lignarium, quem rogat ut se quoquo loco abscondat. Ille tectorium ostendit. Vulpes illud ingrediens, in angulo quodam se abscondit. Adsunt uenatores, lignarium si uulpem uiderit rogant. Lignarius uerbis quidem se uidisse negat, manu uero ubi uulpes latebat locum ostendit. Verum uenatores re haud percepta, statim abeunt. Vulpes ut illos abiisse prospicit, tectorio egrediens, tacite recedit. Lignarius uulpem criminatur, quod cũ saluam fecerit, nihil gratiarum sibi agat. Tunc uulpes se conuertẽs, illi facete ait: Heus amice, si manuum opera ac mores uerbo similes habuisses, meritas tibi persoluerem gratias.

Fabula significat, quod homo nequam, etsi bona pollicetur, mala tamen & improba præstat.

De gallis & perdice.

GAllos quàm plures cum quis domi haberet, quam emerat perdicem, illis permisit compascere. Sed cum galli illam infestarent, rostrisq; præcellerent, perdix ob eam iniuriam non parum sese afflictabat, existimans ob id sibi tales inferri iniurias, quòd alienigena, nec popularis horum esset. Gallos deinde cum inter se confligentes cerneret, animi perturbatione ait: De cætero equidẽ haud tristabor, posteaquam inter uos quoq; odiosa certamina cerno.

Fabula significat, quòd homines sapientia præditi, mo-

derato animo ferunt iniurias ab illis potissimum illatas, qui nec sibi, nec suis parcunt.

De uulpe & larua.

VVlpes citharœdi domum ingressa, dum quæ domi parata sunt sagaciter explorat, laruæ caput reperit arte industriosa compositum, quod manibus capiens, ait: O quale sine cerebro caput.

Fabula significat, quòd non omnes corpore decori, eandem animo habent pulchritudinem.

De homine & ligneo deo.

HOmo quidam deum ligneum domi habēs, eum orauit, ut boni quippiam sibi tribueret, sed quanto magis orabat, eo res domi angustior erat: demū ille concitus ira, deum cruribus capit & caput parieti percutit illi. Exciso igitur capite multum auri exilijt, quod homo colligens ait: peruersus nimium es atq; perfidus, qui dum in honore te habui, nihil equidem profuisti: percussus uero ac uerberatus, boni plurimum contulisti.

Fabula significat, quòd homo nequam si quando prodest, id efficit ui coactus.

De cane ad cœnam uocato.

VIr quidam cum cœnam opiparam parasset, amicum quendam domum uocauit, eius quoq; canis canem alterius ad cœnam inuitauit. Is domum ingressus, eum tantum dapium uidet apparatum, lætus ipse ait: Hodie porrò ita me explebo, quod die crastino comedere non indigebo. Hisq; dictis motu caudæ applaudit. Coquus uero conspiciens, tacitus per caudam capit, atq; illum sæpius rotans per fenestram proijcit. Ille attonitus, humo assurgens, dum clamando aufugit, cæteri canes sibi occurrunt, atq; rogitant

quàm

quàm opipare cœnauerit. At ille languens ait: ita potu ac da pibus me expleui, ut quum exiuerim uiam non uidi.

Fabula significat, quòd quibus rebus quis doliturus est, illis lætari non debet.

De aquila & homine.

AQuilam homo quidam cum cepisset, pennis alarum si bi euulsis, inter gallinas morari dimisit. Eam deinde quidam mercatus, pennis alas denuo munit, tum aquila uolans, leporem capit, fertq; illum benefactori suo. Quam rem conspiciens uulpes, homini ait: noli hanc aquilam, uti prius hospitio habere, ne ceu leporem te æque uenetur. Tum homo aquilæ item pennas euulsit.

Fabula significat, quòd benefacientes sunt quidem remunerandi, improbi uero omni studio uitandi.

De uiro agricola.

HOmo quidam agri cultor existens, cum finem uitæ sibi adesse cognosceret, cuperetq; filios in agrorum cultu fieri peritos, eos uocauit atq; inquit: Filij, ego è uita discedo, bona mea in uinea consita sunt omnia. Illi post patris obitum putantes in uinea thesaurum inuenire, assumptis ligonibus, marris ac bidentibus, uineam funditus effodiunt, nullumq; thesaurum inueniunt. Verum enim uinea cum probe effossa foret, longe post solito fructus produxit, atq; illos diuites fecit.

Fabula significat, quòd labor assiduus thesaurum parit.

De carbonario & lotore.

CArbonarius lotorē quēdam rogauit, ut quā precio conduxerat domū, secum pariter cohabitaret. At lotor rei aliâs expertus ait: Id conducibile haud mihi esset. Nam quæ albificarem, ea omnia carbonū fauillis ipse maculares.

Fabula significat, quod res natura dissimiles stare simul commode non possint.

De uulpe esuriente.

VVlpes ingenti fame concita, cum quodam in tectorio carnis frustum ac panem reposita prospiceret, ipsum tectorium intrauit, atq; tantum comedit quòd ad ingentem tumorem uentrem distendit, & cum ex nimia uentris tumefactione inde egredi nequiret, tumens gemebat. Eius gemitum uulpes alia transiens illac, cum audiret, illuc accedit, rogatq; quidnam gemeret, deinde causam gemitus edocta, lepide ait: Isthic manendum est tantisper, donec tenuis efficiaris, qualis eras dum isthuc accederes, nam alio pacto isthinc nunquam abieris.

Fabula significat, nihil tam durum esse, quod tempore non dissoluatur.

De piscatore quodam.

PIscator quidam piscandi non inexpertus, tibijs ac rete sumptis iuxta maris littus accedit, ac saxo quodam insistiens, in primis tubicinare cœpit, putans cantu se pisces esse capturum. Verum cum cantu nullum assequeretur effectũ, depositis tibijs, rete in mare demittit, ac pisces cepit complures. Sed cum ex rete pisces extraheret, eosq; saltantes perspiceret, non insulse ait: ô improba animalia, dũ ad tibiam cecini, saltare noluistis: nũc quia canere cessso, saltus datis assiduos.

Fabula significat, quòd omnia probe fiunt quæ fiunt tempore suo.

De piscatoribus quibusdam.

PIscatores piscatum profecti, diuq; piscando defessi, fame præterea ac mœrore quòd nihil cepissent confecti, cum abire decernunt, ecce piscis quidã alium fugiens se insequentem,

quentẽ, in nauiculã saltat, illum piscatores supra modũ læti comprehendunt, & in urbem reuersi, grandi uendunt precio.

Fabula significat, quòd frequentius fortuna id exhibet, quod ars & industria efficere non possunt.

De uiro inope & infirmo.

HOmo quidam pauper cum ægrotaret, dijs uouit, quòd si eo morbo liberaretur, boues centũ immolaret. Quod dij experiri uolentes sanitatem illi facile reddunt. Liber igitur à morbo, cum boues, quia pauper, non haberet, ossa boum centum collegit, eaq; super altari deponens, lepide inquit: Ecce quod uoui uotum uobis nunc persoluo. At dij illum ulcisci uolentes, in somnis sibi assistunt, atq; inquiunt: Ad maris littus pergito, ibi enim in loco semoto auri talenta centum reperies. Ille expergefactus somnij memor, dum pergit ad littus, incidit in latrones: captus itaq; eos rogabat, ut se missum facerent, quoniam mille talenta auri persolueret eis.

Fabula significat, quod homo mendax deos & homines pariter contemnit.

De uulpe & pardo.

VVlpes cum pardo de pulchritudine contẽdebat, cum uarias corporis notas pardus sibi duceret decori, uulpes ei comiter ait: ego quidem longe formosior sum iudicanda, quæ non corpus, sed animum uarijs notis habeo notatum.

Fabula significat, quòd decor mentis est potior omni corporis ornatu.

De piscatoribus quibusdam.

PIscatores quidam è mari rete trahebant, quod cum graue esse sentirent, lætitia gestiunt, putãtes multos pisces habere irretitos. Sed ut rete in terrã traxerũt, pisces quidem

paucos, saxum uero ingens reti ineſſe cum perſpiciunt longè triſtantur. Quidam ex illis natu iam grandis non inurbane ſocijs inquit: Animis eſtote quietis, quippe lætitiæ ſoror eſt mœſtitia, oportet enim caſus proſpicere futuros, illosq; ut le uius quis ferat, perſuadere ſibi eſſe euenturos.

Fabula ſignificat, quòd qui reminiſcitur ſortis humanæ in aduerſis minime frangitur.

De ranis regem petentibus.

RAnæ mœrentes quòd ſine rege forent, Ioui ſupplicatum oratores mittunt, ut regem ſibi dedat. Iupiter earum ſimplicitatem cognoſcens, lignum in ſtagni medium demiſit: quod cum in ſtagnum cecidit, eius ſonus ſupra modum terruit ranas: quæ cum lignum eſſe nouerunt, rurſum Ioui ſupplicatum mittunt, ut regem uiuum, haud mortuum ſibi dedat. Iupiter ſtultis earum precibus motus, hydrum illis dedit in regem. Is in diem cum ranas deuoraret, tertio Iouem ranæ precantur, ut regem ſæuum atq; immanem ab eis amoueret. Tunc Iupiter inquit, quem tot precibus regem exoraſtis, eum uobis perpetuum habetote.

Fabula ſignificat, quòd ſæpe ea precamur, quæ impetraſſe poſtea nos pœnitet.

De cata in fœminam mutata.

CAta quædam ſpecioſi cuiuſdam adoleſcentis amore capta, qui Venerem orauit, ut eam in hominem mutaret. Venus illius miſerta, in formam hominis mutauit eam, quæ cum lõge ſpecioſa eſſet, amator domum ſubito adduxit. Sed cum in cubiculo ſimul ſederent, Venus experiri cupiens ſi mutata facie, mutaſſet & mores, in medium conſtituit murem, quem cum illa proſpexit, oblita formæ & amoris ſui, murem ut caperet perſecuta eſt. Qua ſuper re Venus indignata,

gnata, denuo eam in priorem catæ formam mutauit.

Fabula significat, quod homo nequam licet personam mutet, mores tamen retinet eosdem.

De sene mortem uocante.

Senex quidam lignorum fascem super humeros ex nemore portans, cum longa uia defessus esset, fasce humi deposito mortem uocauit: ecce mors aduenit, causámq; quamobrem se uocauerit, rogat, tunc senex, ut hûc lignorum fascem super humeros mihi imponeres, ait.

Fabula significat, quòd quisq; uitæ cupidior est, licet mille subijciatur periculis, mortem tamen semper deuitat.

De muliere & medico.

Mulier anus cum ophthalmiam pateretur, medicum ad se curandum accersit, certum precium sibi dare promittens, si eo morbo curaretur: si uero non liberaretur, nihil ei debere pacta est. Medicus uero quoties illam ibat curatum, toties quippiam è domo clam exportabat. Mulier igitur ophthalmia curata, cum nihil suarum rerum domi esse prospiceret, medico mercedem pactam petenti soluere denegat. Quamobrem uocata in iudicium, pactũ quidem nõ denegat, sed se curatam ophthalmia esse, id uero pernegat, aiens: Cum cæca eram, domum multa suppellectile refertam uidebam, nunc cũ uideo, ut medicus ait, nihil rerũ domi esse prospicio.

Fabula significat, quòd homines auaritiæ dediti, sibimet sæpius contradicunt.

De agricola & canibus.

Agricola quidam magnitudine hyemis in suburbanis se locauit. Sed cum alimonia sibi deficeret, capris & ouibus primum uesci cœpit. Cum uero in diem magis sæuiret hyems, bobus quoq; nec pepercit. Quod facinus cum ani-

maduertunt canes, inuitē uerba faciūt. Quid hic stamus, inquiunt, cur mortē nobis incumbentē non fugimus? putamúsne eum nobis parcere uitā, qui alimoniæ gratia boues iugulauit?

Fabula significat, quòd eos fugere debemus, qui in charissimos crudeliter se ferunt.

De agricola & filijs.

AGricola quidam quàm plures habuit filios continua se ditione discordes, ac eius admonitiones perpetuo negligentes. Cum forte unà domi omnes sederent, iussit pater uirgarum fascem coràm deportari, atq; natos cœpit hortari, ut integrum fascem dirumperent. Cum igitur fascem cum totis uiribus frangere non possent, genitor præcipit ut soluto fasce singulatim frangerent uirgas: cum quisq; facile hoc perficeret, tunc facto silentio pater ait eis, Si quando animis idem sentietis nati mihi charissimi, nec ab inimicis superari poteritis. Sed si inter uos seditiones seruabitis, qui uolet, is facile uos perdet.

Fabula significat, quòd fortior est unio quàm seditio quæ est imbecillis.

De muliere & gallina.

VIdua quædam mulier gallinam habuit, quæ die quolibet pariebat ouum, putauit mulier, more ingenij humani quod sitis habendi semper solicitat, gallinam illam die bis pariturам, si plus speltæ traderet ei solito. At gallina pluri alimonia pinguior facta, id unum desijt parere ouum. Sic mulier ex quo maius lucrum quæritabat, id cæca augendi cupiditate amisit.

Fabula significat, quòd plurimum, cupiditate rerū, præsens quandoq; deperditur quæstus.

De homine à cane morso.

Homo

HOmo quidam cum eum canis momordisset, summo cum studio sciscitabatur à quo sanari posset. Quidam illi obuiam factus, atq; de medico rogatus, ait: Si uis amice fieri sanus, non opus est tibi medico. Nam si canis qui te momordit, à uulnere lingua sanguinem terget, ista cura nihil potius reperiri potest. Alter arridens uenustissime inquit: Si huiusmodi utor remedio, in dies magis ac magis à canibus mordebor.

Fabula significat, homines improbos commoda incommodis, & bona malis pensare solere.

De duobus amicis & ursa.

AMici duo dum rus eunt, illis ursa forte currit obuiam, qua prospecta, alter exterritus, ut sese saluaret arborem continuo ascendit, alter dū ursæ uiribus se posse obsistere diffideret, in terram procidēs mortuū se simulabat, & flatu ac anhelitu quantum potuit ore retento: ursa illi admotis & ore & naribus, dum illum expirasse putat, saluum dimittit, aiunt enim in cadauera ursas non sæuire. Alter uero ex arbore descendens, quid in aurem illi dixisset, socium interrogat. Cui ille: Admonuit ut cum huiusmodi amicis posthac iter non faciam.

Fabula significat, quod ij pro amicis habendi non sunt, qui cum est opus, amicis subsidia denegant.

De adolescentibus duobus & coquo.

ADolescentuli duo æquis sumptibus carnes coemerunt, & curatum coquo tradiderunt. Obiter coquus dum alijs uacat negocijs, alter iuuenum carnes eas clanculum accepit, ac socio tradit. Coquo deinde carnes quæritanti, qui acceperat, haud se habere iurat: qui uere habebat, se non accepisse iurabat. Coquus percepto iuuenum dolo,

ait: Et si fallor equidē à uobis, per quem uero iuratis, res ista non latebit deum.

Fabula significat, nullum scelus posse latere deum.

De duobus inimicis.

DVo quidam gladiatorio animo inter se inimicitias habentes, una in naui nauigabant: & cum alter eodem in loco stare cum altero non pateretur, unus in puppi, alter in prora consedit. Orta autem tempestate, cum nauis periclitaretur, qui in priora sedebat, rogat nauis gubernatorē quæ pars nauis submergi prius deberet, & cum gubernator puppim dixisset, ait ille: Mors mihi modo molesta minime est, si inimicum meum prius mori prospicio.

Fabula significat, quod inimicus ut inimicum perdat, seipsum perdere sæpius eligit.

De calamo & oliua.

QVænam esset fortior, durior & magis resistens, canna & oliua inuicem contendebant. Oliua calamo humilitatem obijciebat, eo quòd uentis facile cederet. Huic dicto unum arūdo haud reddit uerbum. Paulo post turbo uehementer aspirans, radicitus euulsit oliuam totis uiribus sibi obsistentem. At canna flatibus se inclinans, salutem facile est assecuta.

Fabula significat, quod potentioribus sine controuersia mos est in tempore gerendus.

De uitula & boue.

VItula cum bouem arantem prospiceret, illum præ se quæ nihil agebat, contempsit. Sed cum immolationis affuit dies, bos quidem missus, uitula uero ut immolaretur retenta est. Quam rem bos cum conspicatur, subridens ait: Heus uitula, ideo non laborabas, ut immolareris.

Fabula

Fabula significat, quòd ociosis & nihil agentibus pericula quoq; imminent.

De puero & fortuna.

CVm puer quidam iuxta puteum domiret, fortuna illuc accedens, illum excitauit, inquiens: Surge & hinc ocyus abi, quippe in puteum si caderes, non tuam insciti am, sed me fortunam omnes accusarent.

Fabula significat, quòd frequentia pericula culpa nostra incurrimus, deinde absre fortunam accusamus.

De muribus & cato.

DOmo quapiam quòd perplures forent mures, catus præsentiens, illuc accessit, atq; nunc unum nũc alium capiens, complures interimẽdo comedit. Verum mures cum se in diem consumi perciperent, ad unum coacti inquiunt secum, de cætero inferius non esse descendendum si nolumus perditum iri omnes, sed hic superius manendum, quò catus ascendere non potest. At catus consilio murum percepto, simulans se mortuum esse, posterioribus pedibus se ad palum sustendit, qui fixus parieti erat, è muribus quispiam deorsum acute prospiciens, ut catum esse cognouit, haud infacete, ait: Heus amice, & si te follem esse certo scirem, deorsum minime descenderem.

Fabula significat, quòd uir prudens semel si fallitur, fictis & simulatis hominibus non amplius fidit.

De simia & uulpe.

APud brutorum animalium concilium simia ita apposite saltauit, quod omnium ferè cõsensu rex statim fuit creatus. At uulpes inuidens ei, ubi uiderat carnes laqueo in fouea sitas, illuc simiam ut duxit, inquit ad eam: Hic thesaurus absconditus est, qui ex lege spectat ad reges, quare cum

tuus ex lege sit, tute ipse capias illum. Simia uulpis suasu illuc temere accedens, ut se captam laqueo sensit, uulpem acriter accusat, quæ dolo se deceperat: ei uulpes haud illepide ait: Heus stulta, quæ cum fortuna te extulisset dominari cæteris iam te putabis dignam.

Fabula significat, quòd qui temere quippiam aggreditur, temere in aduersa incidit, ac uulgo ridiculus fit.

De ceruo & leone.

CEruus uehementi siti cum uexaretur, ad fontem profiscitur, dumq; potat, suam in aqua prospiciens umbram, ualde lætatus est magnitudine cornuum ac ramositate: deinde pedes & crura prospiciens, nimium tristatus est. Hæc dum animo uertit, ecce leo apparet ac ceruum prosequitur. At ceruus fugam arripiens, leonem per campos lõge anteibat. Dicunt enim ceruorum uires consistere in pedibus, ac leonis in animo stare robur. Quousq; igitur leo per campos secutus est ceruum, eum assequi non potuit. Casu uero contigit ceruum nemus intrare, ubi cornibus ad ramos implicitus, cum fugere non posset, à leone captus, cum se moritu rum uideret: Heu me miserum, inquit, qui cornibus gauisus, ipsis cornibus perco.

Fabula significat, quod quæ putamus nobis profutura, ea nobis sæpius obsunt.

De agricola & pelargo.

AGricola laqueos in agro tetendit, ut grues & anseres uenaretur, qui sata sua continue depascebant. At simul cum illis uenatus est pelargum, qui pede tentus rogabat agricolam, ut eum soluat, missumq; faciat cum non sit grus, nec specie anser, sed pelargus, auium pijssimus, qui parentibus semper inseruiat, nec illos in senecta deserat unquã.

Cui

Cui subridés agricola ait: Quæ dicis, haud me fugiunt, nam qui sis, probe teneo, sed cum his simul captus cum sis, cum his quoq; moriaris oportet.

Fabula significat, quod qui cum improbis in aliquo deprehenditur crimine, pari debet pœna cum illis plecti.

De agno & lupo.

AGnus in domo bene clausa existens, cum lupum ad se uenientem uidit, illum conuitijs & maledictis incessit. At lupus inquit ei: Non tu, sed locus inaccessibilis mihi conuitia dicit.

Fabula significat, quod locus & tempus faciunt timidos sæpe audaces.

De Ioue & coruo.

IVpiter uolatilibus regem creare uolens, diem consilij auibus indixit, ut qui speciosior esset, rex sibi constitueretur. Quam rem præsentiens coruus, ac suæ deformitatis cõscius, plumis aliarum passim collectis se ornauit, ac speciosum se tunc præ cæteris esse putabat. Adest dies præfinitus, uenũt in concilium aues. Iupiter coruum ob pulchritudinem cum regem dare uellet auibus, illæ indigne id ferentes, singulæ coruum suis nudabant pennis. Coruus uero alienis pennis exutus, ridiculus ac fabula uulgi factus est.

Fabula significat, quod qui rebus pendet alienis, illis amissis, quisnam ipse sit, cuiq; liquido patet.

De tubicine quodam.

TVbicen quidam tubæ sonitu pugnatum ciebat exercitum. Ab hostibus deinde per insidias captus, miseranda uoce clamabat: Ne abs re ac frustra occidere me uelitis, ego quidem non pugno: nec præter tubam quippiam aliud possideo. Qui eum uinctum ducebant, huiusmodi uerba

contra reddiderunt: Hanc ob rem morte dignior es iudicandus, quod cum hostibus manum conferre deuitas, alios sontes ad pugnam hortaris.

Fabula significat, quod grauiori pœna sunt mulctandi, qui cum ipsi iniuriam non agant, alios ad iniuriam agendam impellunt.

De fabro & cane.

FAber quidam catulum habebat, qui dum ipse ferrum cæderet, continue dormiebat: cum uero manducaret, canis statim surgebat, & quæ sub mensa deciderant, ceu ossa & alia huiusmodi, sine mora corrodebat, quam rem animaduertens faber, ait ad canem: Heus miser, quid faciam nescio, qui dum ferrũ cudo, cõtinue dormis, & segnitia teneris. Rursus cũ dentes moueo, statim surgis, & cauda mihi applaudis.

Fabula significat, quod socordes & somnolenti, qui ex aliorum uiuunt laboribus, grauì censura sunt coercendi.

De mula quadam.

MVla quædã nimio hordeo pinguis effecta, nimia pinguedine lasciuiebat, secum inquiens: Pater mihi equus fuit, qui cursu celerrimus erat, & ego ei per omnia sum similis. Parum post contigit, quod oportuit mulam quantum potuit currere, sed cum cursu cessauit, heu me miseram inquit, quæ equi filiam me esse putabam. At nunc memini asinum mihi patrem fuisse.

Fabula significat, quod stulti in prosperis seipsos dediscunt, sed in aduersis suos plerumq; agnoscunt errores.

De thynno & delphino.

THynnus cum eum delphinus persequeretur, magno elatus impetu ac stridore, à uehementi fluctu in insulam defertur, eundemq; in scopulum à fluctu eodẽ delphinus, dum

dum se putat capere thynnum, ipse quoq; defertur. Thynnus conuersus cum delphinum expirantem animã uidet, secum ipse ait: Mors mihi molesta admodum non est, cum huius autorem unà mecum interire modo uideam.

Fabula significat, quod quiuis aduersa leuius fert, cum calamitatis suæ autorem simili malo premi uidet.

De medico quodam.

MEdicus quidam, cum quem curaret ægrotum mori contingeret, efferentibus funus aiebat: Vir iste si uino abstinuisset, & clysterijs usus fuisset, eum mori non contigisset. Ex his uero qui tum illic aderant, quidam medico haud infacete ait: Heus medice, ista consilia cum prodesse quibãt, dicenda fuerunt: non nunc, cum nihil ualeant prodesse.

Fabula significat, consilia in tempore non data, haud esse aliud quàm amicum eludere.

De aucupe.

AVceps aucupatum calamis uiscoq; tetendit, & cum turdũ canere arboris desuper ramum aspexit, ut eum caperet calamos erexit. At inter ambulãdum pede altero uiperam calcauit, morsusq; ab ea, cum iamiam ob uenenũ se deficere præsentiret, gemebũdus ait: Heu me miserum, qui dum alium capere festino, alter ad mortem me est aucupatus.

Fabula significat, quod quæ contra alios facere nitimur, ea persæpe ab alio ipsi patimur.

De castore.

CAstor est animal quadrupes, qui in paludibus se nutrit. Eius testes uarijs medelis utiles esse dicuntur. Itaq; cum quispiam eum sequitur, suæ persecutionis causam non ignorans, ac pedum uelocitati fidens, quantum potest fugit, donec eò peruenerit ubi saluum se putat, atq; ibi testes

præcident, uenatoribus dum illi appropinquãt proiecit. Isto pacto à uenatoribus incolumis euadit.

Fabula significat, uirum prudentem nihil intentatum relinquere, ut se à periculis eximat.

De puero oues pascente.

PVer quidam cum oues eminentiori in loco depasceret, sæpius uicinorum contra lupi ferociam implorabat auxilium. Qui circum aderãt cultores agrorum, cultum omittentes, illum adibant, uerum nihil ibi non saluum comperientes, ad intermissa redeunt opera. Cum uero id sæpius ioco fecisset puer, ac deinde serio lupum adesse proclamaret, agricolæ etiam tum se ioco uocari putantes, illi suppetias non ferebant. Sic tandem lupo oues prædæ fiunt.

Fabula significat, illi denuo non haberi fidem, qui semel & iterum mentitus est.

De coruo & uulpe.

COruus carnis prædam nactus, strepitat in ramis: quo uiso, uulpecula cibi illius auida, accedit propius. Stans igitur sub arbore quanta potest arte coruum laudare occipit, affirmans illum forma, alijsq; præclaris uirtutibus, cæteras ferè aues omnes longe præcellere, ac regem esse. Nam omnia regia super alias sibi sunt aues, si modo uocẽ haberet. His laudibus coruus inflatus, & dici mutus haud ualens pati ulterius, dum magna uoce crocizat, carnes humi decidũt. Illas cum uulpes rapuisset, conuersa inquit ad coruũ: Heus corue, omnia decora tenes, modo mente haud careres.

Fabula significat, quod qui adulatoribus nimiũ credunt, hi quæ non putant, in aduersa sæpius incidunt.

De cane & lupo.

CAnis cum ante aulam dormiret, lupus superueniens, cum

tum statim cepit, & cum ipsum occidere uellet, canis ne eum occideret rogauit, inquiens: Here mi lupe, nunc me occidere noli, nam ut uides, tenuis sum, gracilis & macilentus. Sed herus meus nuptias in proximo facturus est, ubi si parum me expectas, ego opipare manducans, atq; pinguior factus, ero tibi utilior. Lupus his uerbis fidem habens, canem dimisit. Paucos post dies lupus accedens, cum canem domi dormientem reperit, stans ante aulam, canem rogat, ut sibi promissa præstet. Ei canis haud ruslice inquit: Heus lupe, si ante aulam de cætero me repereris, haud amplius nuptias expectes.

Fabula significat, quod sapiens cum periculum uitat, ab illo postea continuo cauet.

De coruo ægrotante.

COruus cum ægrotaret, matrem rogauit, ut sua pro sanitate deos precaretur, inquiens: Mater, noli plorare, sed deos potius precare, ut sanitatem mihi restituant. Ei mater scite respondit, quem deorum tibi fore propicium putas, cum nullus sit, è cuius aris sacra non rapueris?

Fabula significat, quod qui in prosperitate quemuis offendit, in aduersis amicum sibi reperit neminem.

De cane carnes portante.

CAnis ore ferens carnes, ac flumen transiens, cum sub aqua umbram prospexit, putauit alium esse canem, qui plus carnium deferret. Itaq; quas ipse ferebat, eas carnes sub aquas ire dimisit, & ut umbram caperet, se mouit: sed carnes umbram, quæ sanè nihil erant, simul perdidit.

Fabula significat, quòd cupiditate plus semper habendi, quæ tenemus, ea sæpenumero perdimus.

De leone & rana.

LEo cum ranam magniloquacem audiret, putans alia

quod magnum animal esse, se retrouerit, parumq; stans ranam è stagno exeuntem uidet, quam indignabundus statim pedibus calcauit, aiens: Nullum amplius ut te perspiciat animal clamore mouebis.

Fabula significat, quòd apud uerbosos præter linguam nihil reperitur.

De leone sene.

LEo cum senuisset, nec uictum sibi quærere posset, uiam machinatus est, qui alimenta haud sibi desint. Ingressus igitur speluncam, grauiter ægrotare iacens simulabat. Animalia illum uere ægrotare putantia, uisitandi gratia ad eum accedebant, quæ leo capiens, singulatim manducabat. Cum multa animalia iam occidisset, uulpes leonis cognita arte aditum speluncæ accedens, leonem quo ualeat pacto exterius stans rogat, ei leo blande respondens, ait: Vulpes filia, cur non intrò ingrederis ad me? Ei uulpes non illepide ait, quoniam here mi, animalium ingredientium perplura equidem uestigia cerno, sed egredientium uestigia nulla.

Fabula significat, quòd homo prudens, quia pericula imminentia prouidet, illa facile deuitat.

De leone & tauro.

LEo ingentem taurum per insidias sequens, cum propè accessit, eum uocauit ad cœnam inquiens: Amice, ouem occidi, hodie mecum si placet, cœnabis. Taurus leoni morem gerens, ut discubuerunt, cum multos lebetes, necnon magnos & plures obeliscos paratos conspiceret, & ouem ibi nullam adesse, è uestigio abijt: quem leo abeuntem perspiciens, cur abiret rogauit. Ei taurus haud inurbane respondit: Non de nihilo equidem abeo, cum instrumenta non ad ouem, sed ad taurum coquendum uideam esse parata.

Fabula

Fabula significat, quòd homines prudentes minime latent improborum artes.

De leone, asino & uulpe.

LEo asinus & uulpes, conflata inter se societate, uenatum exeunt, cumq; multam prædam cepissent, leo asino mandat, ut prædam diuidat. Asinus cum eam in tres partes æquales esset partitus, optionem capiẽdi sociis dedit. Quam partitionem leo indigne ferens, ac dentibus frendens, à diuisione depositit eum, mandauitq; uulpi, ut prædam ipsa partiretur. At uulpes illas tres partes in unum colligens, ac prædæ nihil sibi seorsum relinquens, leoni omnia tradidit. Tunc leo uulpi ait: Quis te partiri edocuit? Inquit ex tempore uulpes, asini periculum id me facere instruxit.

Fabula significat, quod aliorum pericula homines faciunt cautiores.

De leone cuiusdam rustici filiam amante.

LEo cuiusdam rustici filiam amabat, illam cum habere cuperet, patrem uirginis rogauit, ut sibi nubere ipsam assentiret. Ei rusticus ait, nullo pacto se assensurum, quòd filia bestiæ nubat. Cum illum leo torue aspiceret, ac dentibus frenderet, rusticus mutato consilio ait, se cupere ei filiam nubere, modo dentes & ungulas prius cædat, euellatq;, quoniam uirgo illis rebus longe terretur. Leo id postquam prænimio amore fecit, rusticũ adiens, filiam sibi dari postulat. At rusticus leonem cum ungulis & dentibus perspicit inermem, arrepto fuste illum frequens pulsando persequitur.

Fabula significat, quòd qui inimicis se committit, de facili perit.

De leæna & uulpe.

LEæna, cũ à uulpe sæpius exprobraretur, quòd quolibet

partu unum duntaxat pareret catulum, ait: Vnum sane, at pol leonem.

Fabula significat, quod pulchritudo haud in copia rerum, sed in uirtute consistit.

De lupo & grue.

LVpus in gutture osse retento, cum longe cruciaretur, grui precium obtulit, si illud è gutture extraheret. Grus rostro cũ os è gutture extraxit, precium sibi promissum exposcit. Ei lupus subridẽs, simulq; acuẽs dentes, ait: Satis precij tibi esse debet, quod ex lupi ore caput sine læsione eduxeris.

Fabula significat, quòd apud improbos gratitudo nõ pari habetur, si pro obsequio quis detrimentum non recipit.

De lupo & agno.

LVpus cum agnum inuenisset errantem, eum non cepit fortissima manu, sed causam quæsiuit, quo iure uel iniuria eum comederet, igitur agno uerba huiusmodi fecit: Tu mihi abunde iam diu intulisti iniurias. Agnus gemẽdo ait: Quo modo id fieri potuit, cum nuperrime uenerim ad lucem? Lupus denuo ait, Agrum mihi pascendo deuastasti. Agnus inquit ei: Cum dẽtibus etiam caream, id facere nequiui. Lupus rursum ait: Ex meo quoq; fonte bibisti. Et inquit agnus: Quo pacto id fieri potuit, cum aquam ex ætate nondum biberim, sed lac matris cibus & potus adhuc mihi sit? Lupus tandem ira concitus, ait: Licet tua soluere nequeam argumenta, cõmare tamẽ opipare intẽdo: agnumq; cepit, ac illũ mãducauit.

Fabula significat, quod apud improbos ratio & ueritas locum non habent.

De duobus gallis inter se certantibus.

DVo galli inter se ruri certabant: qui gallinarum prior dux erat, cum ab altero superatus esset, præ uerecun

dia

dia se abscondit: alter uero uictoria elatus, domus tectum sta sim superuolans, uehemẽti alarum plausu cantúq; significat se riualem suũ pugnãdo superasse, & de aduersario ferre tro phæum. Dum hæc atq; huiusmodi iactabundus uoce coccizat, ecce aquila cibi indiga, ex alto deuolans, gallum unguibus rapit, ac pullis suis comedendum portauit. Quam rem qui uictus fuerat gallus prospiciens, ceu ex hoste triumphãs in publicum uenit, ac solus gallinis libere potitur.

Fabula significat, quòd qui in prosperis nimium fidit, in aduersa sæpius præceps incurrit.

De uate quodam.

FOro urbis medio quidam uates cuiuis sortem aperiebat futuram, quãobrem magna hominum frequentia stipatus, dum uni & alteri suam aperit sortem, ei nunciatur, res suas furtim domo esse ablatas, quo audito, domũ curriculo dum abit, quidam ei obuiam factus, ridicule ait: Cum alios quid esset futurum monebas, qui tuæ sortis nescius fuisti?

Fabula significat, quòd homines nequam corrigunt alios, & sua crimina scire se negligunt.

De formica & columba.

FOrmica sitiens in fontem descẽdit, ubi dum bibere uult, in aquam cecidit. Columba quædam arborem fonti eminentem supersedens, cum formicam aquis obruì cõspiceret, ramulum ex arbore rostro cõtinuo frangit, ac sine mora deijcit in fontem, ad quem formica se applicans, ex aquis in tutum se recipit. Obiter auceps quidam aduenit, & ut columbam uenetur, calamos erigit. Formica id percipiens, pedem alterũ momordit aucupis, eo dolore auceps cõcitus, calamos dimittit, quorum strepitu columba territa, ex arbore aufugiens, uitæ periculum euasit.

Fabula significat, cum bruta in beneficos grata sint, eo magis esse debent qui participes sunt rationis.

De uitulo & cerua.

VItulus ceruæ aliquando ait: Cum magnitudine sis maior canibus, & pedum celeritate cursu uelocior, & ad pugnam longe cornibus munitior, cuius rei gratia mater tantopere canes reformidas? Ei cerua inquit, subridens: Quoniam fili licet quæ dicis omnia possideam, canum latratum ferre non possum, sed præ timore fugam statim arripio.

Fabula significat, quòd qui natura timidi sunt, eos ut audeant nulla iuuat hortatio.

De ape & Ioue.

APes, quæ ceræ mater existit, quondam accedens ut dijs sacra faceret, Ioui domum obtulit mellis. Qua oblatione Iupiter lætus, iussit sibi concedi quicquid ipsa precaretur. Apes igitur rogans, ait: Illustrissime deus deorum, ancillæ tuæ concedere uelis, ut quicunq; ad alueare pro rapiendo melle accesserit, is simul ac pupugero eum, continuo moriatur. Qua ratione Iupiter ambiguus, quoniam genus mortalium longe amabat, demum api ait: Satis sit tibi, quòd quicunq; alueare pro rapiendo melle accesserit, si eum pupugeris, & in punctura stimulum dimiseris, continuo ipsa moriaris, tibiq; uita sit ipse stimulus.

Fabula significat, quòd quæ inimicis quandoq; mala precamur, ea in nos sæpius uertuntur.

De musca.

MVsca quæ in ollam carnium deciderat, cum se illuc suffocatum iri præsentit, secum ipsa ait: En tantum bibi, tantum comedi, tantum me laui, ut iure satura mori possim.

Fabula

Fabula significat, quod prudentis est id potentiori animo ferre, quod minime uitari potest.

De adolescente quodam & hirundine.

Adolescens luxuriosus, cum bona patris consumpsisset, solaq; uestis remansisset, uisa ante tempus hirundine, æstatem iam adesse existimans, ipsam quoq; uendidit uestem. Sed hyeme denuo orta, cum immenso cruciaretur frigore, uisa rursum hirundine, quæ & ipsa frigore peribat, ait: O uolucrum scelestissima, quæ & me, & te pariter perdidisti.

Innuit fabula, quod quæ suo tempore non fiunt, ea nequa quam perdurare posse.

De ægroto & medico.

Aeger à medico rogatus quo pacto se habuisset, plusquam esset opus se sudasse respondit. Id bonum fuisse medicus ait. Secũdo rogatus ab eodem quomodo se haberet, ait ægrotus uehementi frigore se correptum esse. Id ad sanitatem facere respondit medicus. Tertio ab eodem interrogatus quo pacto se habeat, respondit ægrotus sese cum difficultate digerere. Et id quoq; bonum ac salutiferum esse medicus affirmat. Deinde cum quidam familiaris illum interrogaret de ualetudine, dicebat ægrotus: Signa ad salutem (si medico credimus) & multa & optima sunt, uerum his tamen dispereo.

Fabula monet, ijs non esse fidendum, qui quæ libenter audimus, coràm loquuntur.

De lignatore quodam.

Lignator quidam dum iuxta flumen deo Mercurio dicatum ligna cæderet, securis casu decidit in flumen. Multo igitur dolore correptus, ad oram fluminis tristis, mœstusq;

sedebat. Mercurius misericordia motus lignario apparuit, suiq; fletus causam rogauit, quam simul atq; resciuit, securim auream deferēs, an ea esset quam ibi perdiderat, interrogat, quam ille uisam, suam esse negauit. Secundo Mercurius alteram detulit argenteam, & hanc quoq; suam esse negat pauper. Postremo uero Mercurius ligneam attulit, quam cum suam esse pauper assereret, Mercurius uidēs illum uirum bonum, sanctum ac pium esse, omnes pariter illi donabat. Accedens igitur ad socios lignarius quod sibi acciderat, narrat. Vnus uero illorum id experiri cupiens, cum ad flumen accessisset, proiecta eodem securi, mœstus in ripa desidebat, cuius Mercurius fletus causam edoctus, securim aureā afferens, si quā perdiderat illāne esset, rogauit: quam cū suam esse assereret, Mercurius cognita eius impudentia ac mēdacio, nec auream, nec suam quoq; tradidit.

Fabula significat, quod quanto deus propitior est probis, eo improbis existit infestior.

De asino & Ioue.

Asinus holitori cuidam seruiens, cum multum comederet, & parum laboraret, Iouem exorauit, ut alium dominum sibi mutaret. Itaq; Iupiter mandat ut figulo ueneat. Apud quem asinus cum laboraret in deportando lutum, lateres, tegulas & huiusmodi, secundo Iouem precatur ut alio deseruiat domino. Iupiter iterum mandat, ut coriario uenundetur. Cui asinus multo cum labore & pauco cibo seruiens, heu me miserum, cum gemitu ait, qui dominos omittens meliores, ad deteriorem perueni, apud quem ut uideo, corium meum etiam post mortem cruciabitur.

Fabula significat, quòd priores dominos tunc serui desiderant, cum deteriores experiuntur.

De leporibus & ranis.

LEpores in unum simul conuenerunt, ubi cum de miseria ipsorum innata dolerent, gemeréntue, quod uita eis quàm cæteris animalibus data esset miserior; quoniam homines, aquilæ & canes ad mortem eo usq; persequerentur, decernunt melius sibi fore semel mori, quàm in uita tam misera diutius permanere, hoc certo consilio, ut se in stagnũ præcipi tent. Dum ocyus tendunt, ranæ quæ super stagni ripa astabant, ut strepitum audiunt, in stagnum desiliunt, séq; aquis submergunt. Quam rem qui lepus præibat cũ cõspicatur, reliquis ait, state, nam nobis sententia mutanda est. Quippe ut liquido uidetis, animalia quàm nos magis timida reperiũtur.

Fabula significat, quòd cum miser miseriorem aspicit, suam æquius miseriam fert.

De asino & equo.

ASinus cum equum alimonia & ocio diligenti cura abundare perspiceret, eum longe beatum esse commendabat, séq; nimium infelicem dicebat, qui cum multum laboraret, ad saturitatem de paleis haud haberet. At cum belli tempus aduenit, miles armatus equum ascendit, ac cum medios decurrit in hostes, equus mucrone percussus, cadit humi prostratus. Quem asinus prospiciens, ingemuit: eiusq; misertus, sui animi sententiam mutauit.

Fabula significat, quod cum paupertate quæ mater est quietis, quis conuenire debet potius quàm locupletioribus inuidere.

De asino & lupo.

ASinus quidam pede altero sentem calcauit, claudusq; factus, cum lupum ad se uenientem conspiceret; nec fugere posset, miserabili uoce inquit: Heus lupe,

demorior equidem è dolore, sed ex quo opus est ut tibi & cor uis futurus sim cibus, obsecro quatenus tua benignitate sen tem è pede uelis extrahere, ut munere tuo extremum sine do lore obeam diem. Dum sentem dentibus lupus euellit, asinus eum calce percussit. Lupus deinde naso, fronte, ac dentibus perfractis, heu me miserum exclamat, iure hoc patior, deplo rando reiterat, qui cum essem coquus, medicus esse uolui.

Fabula significat, quòd quam quisq; nouit, ea se exerceat arte.

De muliere & gallina.

MVlier quædam gallinam habebat, quæ quotidie pone bat oua aurea, sperans igitur intus latere gazam, occidit. Sed cum intus nihil reperit, quæ se diuitem inde fo re putabat, etiam quæstu priori priuata est.

Fabula significat, ob nimiam auaritiam hominibus id plerunq; perire, quod prius certum habebant lucrum.

De rana & uulpe.

RAna paludem egressa, contulit se ad quadrupedes, pro fitetur se medicum esse, ac in ea facultate se pluri mum posse præstare, cui præter cæteros fidem non habens uulpes, ait: Qui alios curaueris, cum claudicantem te cura re nescias?

Fabula significat, stultum esse alios id docere uelle, quod ipse prius non didiceris.

De serpente & agricola.

SErpens ante agricolæ cuiusdam domum latebras ha bens, cum ab agricolæ filio cæderetur, tam acriter illum momordit, ut ex eo morsu statim obierit. Hac re cognita pa rentes magnos ac lamentabiles gemitus edunt. Cæterum fi lij mortem impotentius ferens pater, correpta securi bestiam,

ut occidat, insequitur, atq; ibi uibrata securi, caudam illi amputabat: ac mox facti pœnitens, illi sese reconciliare studebat, pane, uino, farinis ac cæteris huiusmodi ceu pacis legibus oblatis. Cui serpens sub petra latitans, indignabundus ait, Nihil agis bone uir, siquidem inter nos amicitia neutiquam coire poterit, nam mihi præcisa cauda, tibi uero filij tui funus memoriam crebro refricabunt.

Fabula significat, quòd cum iniuriarum nondum causa perierint, odia minime tolli queunt.

De gallina & uulpe.

VVlpes gallinarum tugurium ingressa, cũ gallinam nido ægrotantem aspexit, eam rogauit quomodo ualeret. Cui gallina prompte respondit, Meliuscule haberem, si hinc abires soror.

Fabula significat, quòd inimicorum præsentia nimium est molesta.

De uiatore.

VIator quidam longum facturus iter, uouit Mercurio dimidium si quid offenderet in itinere. Reperta autem pera palmulis amygdalisq; plena ad unum omnes illas edebat. Tandem uero aliquãdo Mercurij templum ingressus, illiusq; aram manibus tenens, uerbis ridiculis ait Mercurio: Votum Mercuri nunc tibi persoluo. Nam earum quas reperi, amygdalarum palmularumq; cortices & putamina tibi offero.

Fabula significat, auaritiam hominibus etiam deorum contemptum parere.

De leone & homine.

LEo & homo cum simul iter facerent, ac inter eundum suas quisq; prædicaret uirtutes, ecce lapideæ occurrunt

columnæ, quibus exaratus erat homo leonem interimẽs, quam sculpturam ille leoni prætendens, ait: Agnosce ô bone, uel me tacente, homini leonem cæteras q; feras uiribus ac potentia multo esse impares. Cui leo: Quòd si leones æque atq; uos, pingendi artem haberent, plures leoni homines quàm hominibus leones caderent.

Fabula significat, quod homines iactabundi fingunt se fecisse quæ facere nunquam tentarunt.

De uulpe quadam.

VVlpes cum racemos uuarum plenos iam ac matures centes prospiceret, cupida de illis mãducare, omnem uiam machinata est, qua illos comprehendere posset. Sed cum omnem uiam frustra tẽtasset, nec desiderio suo satisfacere quiuisset, mœstitiam uertens in gaudium, ait: Racemi illi adhuc nimium sunt acerbi.

Fabula significat, quod prudentis est fingere se ea nolle, quæ consequi non posse cognoscit.

De puero & scorpione.

PVer quidã ruri uenabatur locustas, & cũ scorpionẽ capere uellet, scorpio simplicitate eius cognita, ait ei: Heus puer, dege in pace, ac manũ abstine, si nõ uis totus perire.

Fabula significat, quod qui ad utranq; partem cogitat, is quæ sequi & quæ uitare debeat probe tenet.

De uenatore & perdice.

VEnator quidam cum quam ceperat perdicem, occidere uellet, perdix gemens huiusmodi uerba fecit ad eum: Heus perdicum auceps, si me missam feceris, ac uitam donaueris, alias perplures conducam tibi perdices. Ei auceps apposite respondit: Nunc eo magis occidi dignam iudico, quòd amicos per insidias perdere polliceris.

Fabula

Fabula significat, quòd qui sibi charos perdere dolo quærit, is præceps in pericula incidit.

De lepore & testudine.

TEstudo cum eius pedes lepus derideret, subridens inquit ad eum, Si periculũ in cursu feceris, quòd quàm uelocior sim, liquido cognosces. Cui lepus ait, Te profecto fugit, quid mei ualeãt pedes, sed iudicẽ eligamus, qui cursum & terminũ nobis diffiniat. Igitur eligunt uulpem brutorum omniũ sagacissimã, quæ ut locum & cursus terminum constituit, testudo omni segnitie ac negligentia semota, iter arripiens haud quiuit, donec ad terminũ peruenit. Lepus uero pedibus fidens, ubi paululũ quieuit somno excitatus, quãtum pedes ualuerunt, ad terminũ cucurrit, ibiq; cũ testudinẽ quiescentem reperit, se cum rubore fatetur à testudine superatũ.

Fabula significat, quod studio & diligentia, non corporis uiribus, res uel maximæ conficiuntur.

De securi & salice.

SEcuris cũ salicem cæderet, ex ea ipsa cuneos fecit quibus salicẽ facilius scinderet. Quã rem præsentiẽs salix, gemẽs eiulansq; ait: Non tantũ de securi queror, quæ hominũ manibus me scindit, quantũ de cuneis qui fiunt ex corpore meo.

Fabula significat, quod in aduersis, non ueri amici se infestiores amicis, quàm inimici sæpius reddunt.

De puero quodam fure.

PVer quidam è ludo literario librum socio clam auferens, suæ matri tradidit illum: quem mater cum libenter accepisset, nec filium castigasset, rursus puer alij uestem clam abstulit, atq; matri quoq; detulit, quam cũ mater etiam libenter accepisset, puer castigatione carens, cum plura in diem ac maiora crescentibus annis furaretur, demũ publice

captus, ceu furti reus, per quæstores publice damnatus est mortis. Sed cum ad locum iustitiæ duceretur, eumq; mater gemebunda sequeretur, impetrata uenia ut matri ad aurem unum loqui uerbum ualeret, ad eam conuersus, atq; os ori matris adhærens, ut quippiam secreto dicturus, aurem denti bus sibi abscidit. Mater uero præ dolore exclamans, mala illi imprecatur. Tunc qui eum ducebant, cum supra modum criminarentur, non solum furti, sed quod tam impius fuerit in matrem, ille absq; rubore inquit ad eos: Nemini uestrũ sit mirum quòd aurem matris dentibus abscidi. Ipsa enim huius meæ perditionis autor & causa est. Quippe si me castigasset, cum ei librum detuli, quem socio è scholls primum clam abstuli, omissis præ timore uerberum furtis, ad hoc in præsentia genus turpissimæ mortis non peruenissem.

Fabula significat, quòd qui in delinquendo ab initio non castigatur, facinorosior in diem efficitur.

De pastore & mari.

PAstor quidam iuxta littus maris pecudes pascens, cum mare ipsum semel placidum aspiceret, nauigandi studio captus, oues pro dactylis commutauit, quibus naui impositis, cum altum iam nauigaret, & tempestate sine spe salutis fluctuaret, quæ in naui sunt, ea omnia proiecit, atq; in portũ uix se recipit. Denuo cum oues pasceret, ac rursus mare tranquillum uideret, suo consocio ipsam maris tranquillitatem commendanti ridicule ait: Mare iterum dactylos cupit.

Fabula significat, quòd usus & peritia nos reddunt in periculis cautiores.

De punica & malo arboribus.

PVnica & malus arbores de pulchritudine contendebant, dum diu inter se uarijs & acerbis contentionibus certassent,

certassent, rubus ex proximo sepe huiusmodi contentiones ac cipiens, accessit ad eas, atq; inquit: Satis iam satis certatum inter uos est, quiescite admodum & contentionibus finem imponite.

Fabula significat, quòd minores maiorum lites sæpenumero componunt.

De talpa & matre.

TAlpa cæcum natura animal est. Hæc aliquando matri ait: Ingentem sentio odorem. Parum post rursum ait: Excelsam aspicio fornacem. Tertio item ait: Malleorum sonitus audio fabriles. Ei mater comiter ait: Heus filia, tu uti percipio, non solũ oculis, sed naso & auribus orba existis.

Fabula significat, quòd homines iactabundi, cum magna profitentur, tunc uel maxime in minimis redarguuntur.

De uespis, perdicibus & agricola.

VEspæ semel & perdices siti concitæ, cum simul conuenissent, ad rusticum quendam tendunt, potum ab eo petentes, atq; pollicentes quòd illi pro aqua largas referrent gratias. Quippe perdices uineam ei eo fœdere promittunt, quòd plenos uites producent racemos. Vespæ uero se uineam circumeundo custodire, ac fures inde amouere large offerunt. Quibus agricola inquit, Duos habeo boues, qui cum nihil promittant, eandem hanc operam nihil minus præstant. Itaq; satius est mihi illis quàm uobis aquam exhibere.

Fabula significat, non esse illis subueniendum qui nauci & inutiles sunt.

De Ioue.

CVm Iupiter nuptias celebraret, cuncta animalia illi munera obtulerunt, quæq; pro uiribus suis. Verum enim serpens rosam legit, illamq; ore tenens Ioui obtulit,

At Iupiter ut eum aspexit, palàm inquit: Ab omnibus equidem dona libenter accipio, uerum à serpente id haudquaquà facio.

Fabula significat, improborũ munera non esse sine dolis.

De simia.

SImiam aiunt parere gemellos, quorum unum tenerrime diligit, alterum assiduo prosequitur odio. Contigit autem quòd qui in delicijs habebatur à simia matre in somnis suffocaretur, quamobrem qui neglectus erat, ad iustam ætatem in matris delicijs educatus adoleuit.

Fabula significat, uiros prudentes nonnunquam fortunæ debere cedere.

De pulice.

PVlex cum quendam morsu aliquando stimulasset, captusq; rogaretur, quis nam esset, qui membra sibi depasceret, ait se ex eo genere animalium esse, quibus à natura datum esset, ut eo pacto uitam uiuant, nec eum occidere uelit, cum multum mali facere ipse illi nequeat. At homo ille subridẽs ait: Eo magis meis necaberis manibus, quoniam nec multum, nec parum abs te quempiam lædere licet.

Fabula significat, quòd malorum licet parum, uel multum delinquant, misereri haud oportet.

De pulice & homine.

PVlex suo solito more saltans, super hominis pede resedit, illumq; morsu acriter pupugit. Qua punctione homo ille grauiter concitus, pulicem cepit, & unguibus obtundere uoluit: sed pulex manibus exiliens, mortem euasit. Tum homo proclamans ait: O Hercules malorum extinctor, ecquid mihi in hunc opprimendum præsens non fuisti?

Fabula

Fabula significat, quod nō in minimis, sed in magnis arduisq; rebus à dijs implorandum est auxilium.

De formicis & cicada.

HYemis erat medium, cum formicæ sparsim triticum apricabant. Quod cicada aspiciens, cum inedia conficeretur, accessit ad eas, ac triticum ut sibi pro alimonia cibum concederent, orauit. Et cum formicæ eam rogarent, quidnam æstate fecerit, num segnis & ociosa eo tempore steterit, illis cicada ait: Neq; segnis aut ociosa steti, sed cantu uiatoribus itineris tædium leuaui. Qua re cognita, formicæ subridentes inquiunt: Si æstate cecinisti, ut uiatorem oblecta res, nunc salta, ne frigore pereas.

Fabula significat, quod qui quæ facienda sunt suo tempore non facit, is in angustias quando non putat, incidit.

De uiro & uxoribus.

TEmpus erat ueris, quo quidam in delicijs educatus, cum nec iuuenis, nec senex esset, semicanus enim erat, duas simul duxit uxores, unam quidem natu grandem, alteram uero iuniorem. Cum omnes eandem habitarent domum, uxor anus ut uirum in amorem suum totum pelliceret, quotidie uiro caput pertractans, nigros illi euellebat capillos. Pari studio iunior, ut ab anus consuetudine illum auocaret, albos euellit capillos. Postremo ita illum depilarunt, ut & caluum & ridiculum non sine summo opprobrio uirum reddiderint.

Fabula significat, quòd nulla melior salus senibus existit quàm fœminis carere, & maxime iunioribus, nisi penitus obrui se uelint.

ALIAE ITEM ALIQVOT AESOPI FABVLAE

è Græco in Latinum uersæ, incerto interprete.

Impossibilia promittens.

IR pauper ægrotans, & male affectus, cum à medicis desperatus esset, deos rogabat pollicens si sanitatem sibi rursus restituissent, centum boues ipsis oblaturũ esse in sacrificium. Vxore autem eius audiente, Et ubi tibi hæc, si conualueris? Ille ait, putas enim surgere me hinc, ut dei hæc à me repetant?

Fabula significat, multos facile polliceri, quæ re comprobare non sperent.

Ranæ.

RAnæ duæ in palude pascebantur, æstate autem siccata palude, illa derelicta, quærebant aliam: cæterum profundum inuenerunt puteum: quo uiso, altera alteri inquit, Descendamus heus tu in hunc puteum. Illa respondens ait, Si igitur & hic aqua aruerit, quomodo ascendemus?

Fabula declarat, non oportere incõsiderate res aggredi.

Canis & gallus.

CAnis & gallus inita societate iter faciebant. Vespera autem superueniente, gallus cõscensa arbore, dormiebat: at canis ad radicem arboris excauatæ. Cum gallus, ut assolet, noctu cantasset, uulpes, ut audiuit accurrit: & stans inferius, ut ad se descenderet, rogabat, quòd cuperet com-

commendabile adeò cantu animal complecti. Cum autem is dixisset, ut ianitorem prius excitaret ad radicem dormientem, ut cum ille aperuisset, descenderet: & illa quærente ut ipsum uocaret, canis statim prosiliens eam dilacerauit.

Fabula significat, prudentes homines inimicos insultantes ad fortiores astu mittere.

Leo & ursus.

LEo & ursus simul magnum nacti hinnulum, de eo pugnabant: grauiter igitur à seipsis affecti, ut ex multa pugna etiam uertigine corriperentur, defatigati iacebant. Vulpes autem circum circa eundo, ubi prostratos eos uidit, & hinnulum in medio iacentem, hunc per utrosq; percurrendo, rapuit, fugiensq; abiuit: at illi uidebant quidem ipsam, sed quia non poterant surgere, Nos miseros, dicebant, quia uulpi laborauimus.

Fabula significat, alijs laborantibus, alios lucrari.

Vespertilio & rubus, & mergus.

VEspertilio & rubus, & mergus inita societate mercatoriam decreuerunt uitam agere. Itaq; uespertilio argentum mutuata proiecit in medium: rubus uestem secum accepit: mergus tertius, æs, & nauigauerunt. Tempestate autem uehementi oborta, & naui euersa, omnibus perditis, ipsi in terram euaserunt. Ex illo igitur mergus littoribus semper assidet, num quopiam æs eiiciat mare. Vespertilio uero creditores timens, interdiu non apparet, noctu ad pabulum exit. Rubus prætereuntium uesti inhæret, sicubi suam cognoscat quærendo.

Fabula significat, in ea, quibus incumbimus, in posterum recidere.

Pauo & monedula.

Avibus creaturis regem, pauo orabat ut se ob pulchritudinem eligerent. Eligentibus autem eum omnibus, monedula susceptо sermone ait: Sed si te regnante, aquila nos persequi aggressa fuerit, quomodo nobis opem feres?

Fabula significat, principes non modo propter pulchritudinem, sed & fortitudinem & prudentiam eligi oportere.

Cingularis animal & uulpes.

Cingularis agrestis super quadam sidens arbore dentes acuebat. Vulpe rogante causam, quare nulla proposita necessitate dentes acueret, ait, Non absque hoc facio: nam si me periculum inuaserit, nequaquam me tunc acuendis dentibus occupatum esse oportebit, sed potius paratis uti.

Fabula significat, aduersus periculum præparatum esse oportere.

Cassita.

Cassita laqueo capta plorans dicebat: Heu mihi misere, et infelici uolucri: non aurum surripui cuiusquã, non argentum, non aliud quicquam pretiosum. Granum autem tritici paruum, mortis mihi causa fuit.

Fabula in eos, qui ob uile lucrum, magnum subeunt periculum.

Hinnulus.

Hinnulus aliquando ceruo ait: Pater, tu & maior & celerior canibus, & cornua præterea ingentia gestas ad uindictam, cur nam igitur sic eos times? Et ille ridens ait, Vera quidem hæc inquis, fili: unum uero scio, quòd cum canis latratum audiuero, statim ad fugam nescio quomodo efferor.

Fabu-

Fabula significat, natura timidos nulla admonitione fortificari.

Auarus.

AVarus quidam cum omnia sua bona uendidisset, & auream glebam fecisset, in loco quodam infodit, unà defossо illic & animo suo, & mẽte: atq; quotidie eũdo, ipsam uidebat. Id autem ex operis quædam obseruando cognouit, & refossam glebam abstulit. Post hæc & ille profectus, & uacuum locum uidens, lugere cœpit, & capillos euellere. Hunc cum quidam uidisset sic plorantem, & causam audiuisset, Ne sic, ait, ô tu, tristare, neq; enim habens aurum, habebas: lapidem igitur pro auro acceptum reconde, & puta tibi aurum esse, eundem enim tibi usum præstabit: nam ut uideo, neq; cum aurum erat, utebare.

Fabula significat, nihil esse possessionẽ, nisi usus adfuerit.

Anseres & grues.

ANseres & grues in eodem prato pascebantur. Venatoribus autem uisis, grues, quòd essent leues, statim euolauerunt, anseres uero ob onus corporum cum mansissent, capti fuerunt.

Fabula significat, & in expugnatione urbis, inopes facile fugere, diuites autem seruire captos.

Testudo & aquila.

TEstudo orabat aquilam, ut se uolare doceret. Ea autem admonente procul hoc à natura ipsius esse, ille magis precibus instabat. Accepit igitur ipsam unguibus, & in altum sustulit: inde demisit: hæc autem in petras cecidit, & contrita est.

Fabula significat, multos, quia in contentionibus prudentiores non audiuerint, seipsos læsisse.

Cerua.

CErua altero obcæcata oculo, in littore pascebatur, sanum oculum ad terram propter uenatores habens, alterum uero ad mare, unde nihil suspicabatur. Præternauigantes autem quidam, & hoc coniectantes, ipsam sagittarunt: hæc autem seipsam lugebat, quòd unde timuerat, nihil passa foret, quod non putabat malum allaturum, ab eo proditam.

Fabula significat, sæpe quæ nobis noxia uidentur, utilia fieri: quæ uero utilia, noxia.

Cerua & leo.

CErua uenatores fugiens, in speluncam ingressa est. In leonem autem ibi cum incidisset, ab eo comprehensa est. Moriens autem dicebat, Hei mihi, homines fugiẽs, in ferarum immitissimum incidi.

Fabula significat, multos homines dum parua fugiunt pericula, in magna incurrere.

Cerua & uitis.

CErua uenatores fugiens, sub uite delituit. Cum præterijssent autem parumper illi, cerua prorsus iam latere arbitrata, uitis folia pasci incepit. Illis uero agitatis, uenatores conuersi, & quod erat uerum arbitrati, animal aliquod sub folijs occultari, sagittis confecerunt ceruam. Hæc autem moriens talia dicebat, Iusta passa sum, non enim offendere oportebat, quæ me seruarat.

Fabula significat, qui iniuria benefactores afficiunt, à deo puniri.

Asinus & leo.

CVm asino gallus aliquando pascebatur. Leone autem aggresso asinum, gallus exclamauit, et leo (aiunt enim

hunc

hunc galli uocem timere) fugit. At asinus ratus propter se fugere, aggressus est statim leonem. Vt uero procul huc per secutus est, quò non amplius galli perueniebat uox, conuersus leo deuorauit. Hic uero moriens clamabat, Me miserum, & dementem: ex pugnacibus enim non natus parentibus, cuius gratia in aciem irrui?

Fabula significat, plerosq; homines, inimicos, qui se de industria humiliarunt, aggredi, atq; ita ab illis occidi.

Olitor & canis.

OLitoris canis in puteum decidit, olitor autem ipsum illinc extracturus, descendit & ipse in puteum: ratus autē canis accessisse ut se inferius magis obrueret, conuersus olitorem momordit. Hic autē cum dolore reuersus, Iusta, inquit, patior, nam cur unquā sui interfectorē seruare studui?

Fabula in iniustos, & ingratos.

Sus & canis.

SVs & canis mutuo conuitiabantur. Et sus iurabat per Venerem, proculdubio dentibus discissurum canem. Canis uero ad hæc dissimulanter dixit, Bene per Venerem nobis iuras: significas enim ab ipsa uehementer amari, quæ impuras tuas carnes degustantem, nullo pacto in sacellum admittit. Et sus, propter hoc igitur magis præ se fert dea amare me: nam occidentem, aut alio quouis modo lædentem omnino aduersatur: tu tamen male oles & uiua, & mortua.

Fabula significat, prudentes oratores, quæ ab inimicis obijciuntur, artificiose in laudem conuertere.

Sus & canis.

SVs & canis de fœcunditate certabant. Dixit autem canis, fœcundam esse maxime pedestrium omnium. Et sus

occurrens, ad hæc inquit, Sed cum hæc dicis, scito & cæcos tuos te catulos parere.

Fabula significat, non in celeritate res, sed in perfectione iudicari.

Serpens & cancer.

SErpens unà cum cancro uiuebat, inita cum eo societate. Itaq; cancer simplex moribus, ut & ille astutiam mutaret, admonebat: hic autem minime obediebat. Cum obseruasset igitur cancer ipsum dormientem, & pro uiribus compressisset, occidit. At serpente post mortem extenso, ille ait, Sic oportebat antehac rectum & simplicem esse: neq; enim hanc pœnam dedisses.

Fabula significat, qui cum dolo amicos adeunt, ipsos offendi potius.

Pastor & lupus.

PAstor nuper natum lupi catulum reperit, ac sustulit unaq; cum canibus nutriuit. At cum adoleuisset, si quando lupus ouem rapuisset, cum canibus & ipse persequebatur. Cum canes uero aliquando non possent assequi lupum, atq; ideo reuerterentur, ille sequebatur, ut cum ipsum assecutus esset, particeps foret uenationis ut lupus, inde redibat. Sin autem lupus extra non rapuisset ouem, ipse clàm occidens, unà cum canibus comedebat: donec pastor cum cõiectlasset, & intellexisset rem, de arbore ipsum suspendit, & occidit.

Fabula significat, naturam prauam bonos mores non nutrire.

Leo & lupus.

LEo cum consenuisset, ægrotabat iacens in antro. Accesserant autem uisitatura regem, præter uulpem, cætera animalia. Lupus igitur capta occasione accusabat apud leonem

nem uulpem, quasi nihili facientem suum omnium dominum, & propterea neq; ad uisitationem profectam. Interim affuit & uulpes, & ultima audiuit lupi uerba. Leo igitur contra eam infremuit. Sed defensionis tempore petito, Et quis, inquit, eorum, qui conuenerunt, tantum profuit, quantum ego, quæ in omnem partem circuiui, & medicamentum pro te à medico quæsiui, & didici? Cum autem leo statim, ut medicamentum diceret, imperasset, illa inquit, si lupo uiuente excoriato, ipsius calidam pellem indueris. Et lupo iacente, uulpes ridens ait, Sic non oportet dominum ad maleuolentiam mouere, sed ad beneuolentiam.

Fabula significat, eum qui quotidie machinatur, in seipsum laqueum uertere.

Mulier.

MVlier quædam uirum ebrium habebat: ipsum autem à morbo liberatura, tale quid commenta est. Aggrauatum enim ipsum ab ebrietate cum obseruasset, & mortui instar insensatum, in humeros eleuatum, in sepulchretum allatum deposuit, & abiuit. Cum uero ipsum iam sobrium esse coniectata est, profecta ianuam pulsauit sepulchreti. Ille autem cum diceret, quis est qui pulsat ianuam? uxor respondit, mortuis cibaria ferens ego adsum. Et ille, nō mihi comesse, sed bibere ô optime potius affer: tristem enim me reddis, cum cibi, non potus meministi. Hæc autem pectus plangendo, hei mihi miseræ, inquit: nam neq; astu profui: tu enim uir non solum non emendatus es, sed peior quoq; te ipso euasisti, in habitum tibi deductus est morbus.

Fabula significat, non oportere in malis actibus immorari: nam & nolentem quandoq; hominem consuetudo inuadit.

Cygnus.

VIr diues anserem simul & cygnum nutriebat, non ad eadem tamen, sed alterum cantus, alterum mensæ gratia. Cum autem oporteret anserem pati ea, quorum causa nutriebat, nox erat, ac discernere tempus non permisit utrunq; cygnus autem pro anſere abductus, cantat cantum quendam mortis exordium: & cantu significat natura, mortem uero effugit suauitate canendi.

Fabula significat, sæpe musicen differre mortem.

Aethiops.

AEthiopem quidam emit, talem ei colorem ineſſe ratus negligentia eius, qui prius habuit: ac assumpto in domum, omnes ei adhibuit abſterſiones: omnibus lauacris tentauit mundare: & colorem quidem transmutare non potuit, sed morbum dolor parauit.

Fabula significat, manere naturas, ut à principio prouenerunt.

Hirundo & cornix.

HIrundo & cornix de pulchritudine contendebant. Respõdens autẽ cornix ei dixit, Sed tua pulchritudo uerno tempore floret, meum uero corpus etiam hyeme durat.

Fabula significat, durationem corporis, decore meliorem esse.

Butalis.

BVtalis à feneſtra quadam pendebat. Vespertilio autem profecta rogauit causam, quare die sileret, nocte caneret. Cum autem id ea non incassum hoc facere dixisset (nam die canendo olim capta fuerat, & propterea ex illo prudens euasit) uespertilio ait, sed non nunc te canere oportet, cum nulla utilitas, sed ante quàm capereris.

Fabula

Fabula significat, in infortunijs inutilem esse pœnitentiã.

Cocleæ.

RVstici filius assabat cocleas. Cum autem audiret eas stridentes, ait, O pessimæ animantes, domibus uestris incensis uos canitis?

Fabula significat, omne intempestiue factum, uituperabile.

Mulier & ancillæ.

MVlier uidua operosa ancillas habens, has solebat noctu excitare ad opera ad gallorum cantus. His uero assidue defatigatis labore, uisum est oportere domesticum occidere gallũ, tanquam illum qui noctu excitaret heram. Euenit autem ipsis, hoc facto, ut in grauiora inciderent mala: nam hera ignorans gallorum horam, tẽporius eas excitabat.

Fabula significat, plerisq; hominibus consilia esse malorum causas.

Mulier uenefica.

MVlier uenefica diuinarum irarum propulsiones promittens multa facere perseuerabat, & lucrum inde facere. Quidam igitur accusarunt eam impietatis, & conuicerunt & damnatam ducebant ad mortem. Videns autem quidam eam duci, ait, Tu quæ deorum iras auertere promittebas, quomodo neq; hominum consilium mutare potuisti?

Fabula significat, multos magna promittentes, ne parua quidem facere posse.

Agricola.

AGricola quidam fodiendo aurum reperit: quotidie igitur terrã, ut ab ea beneficio affectus, coronabat. Huic autem fortuna astans inquit, Heus tu, cur terræ mea munera attribuis quæ ego tibi dedi ditatura te? nam si tempus im-

mutetur, et in alias manus hoc tuum aurum eat, scio te nunc me fortunam accusaturum.

Fabula significat, oportere benefactorē cognoscere, atq; huic gratiam referre.

Viatores.

DVo quidam unà iter faciebant: & cum alter securim reperisset, alter, qui non inuenit, admonebat ipsum, ne diceret inueni, sed inuenimus. Paulo post autem cum aggrederentur ipsos, qui securim perdiderāt, qui eam habebat, persequentibus illis, ei qui unà iter faciebat, dixit, Perijmus. Hic autem ait, Peri, dic: non perijmus, etenim & tunc, cum securim inuenisti, inueni dixisti, non, inuenimus.

Fabula significat, qui non fuerunt participes felicitatum, neq; in calamitatibus firmos esse amicos.

Ranæ duæ.

DVæ ranæ uicinæ sibi erant: pascebantur autem altera in profundo stagno, & procul à uia: altera in uia parum aquæ habens. Verum, cum quæ in stagno alteram admoneret, ut ad se migraret, ut tutiore cibo frueretur, illa non paruit, dicens firmissima teneri huiusce loci cōsuetudine: quousq; obtigit currum prætereuntem ipsam confringere.

Fabula significat, homines quoq; praua aggredientes ei tius mori quàm mutentur in melius.

Apiarius.

IM mellarium ingressus quidā domino absente, fauū abstulit. Hic autem reuersus, ut alueolos uidit inanes, stās quod in his erat, perscrutabatur. Apes autem è pastu redeuntes, ut deprehenderunt ipsum, aculeis percutiebant, pessimeq; tractabant. Hic autem ad eas, O pessimæ animantes, furatum

tum uestros fauos illæsum dimisistis, me uero satagentem ue stri, percutitis?

Fabula significat, sic homines quosdã ob ignorantiam inimicos non cauere, amicos autẽ ut insidiatores repellere.

Alcedo.

Alcedo auis est solitaria, semper in mari uitam degens: hanc dicitur, hominum uenationes cauentem, in scopulis maritimis nidificare. Cæterum aliquando paritura, pullos fecit. Egressa autem ea ad pabulum, accidit mare à uehementi concitatum uento eleuari supra nidum: at q; hoc submerso, pullos perdere: hæc uero reuersa, recognita, ait, Me miseram, quæ terram ut insidiatricem cauẽs, ad hoc confugi quod mihi longe est infidius.

Fabula significat, homines etiam quosdam ab inimicis cauendo ignaros, in multo grauiores inimicis amicos incidere.

Piscator.

Piscator in fluuio quodam piscabatur. Extensis autem retibus, & fluxu comprehenso utrinq;, funi alligato lapide, aquam uerberabat, ut pisces fugientes incaute in retia inciderent. Cum quidam uerò ex ijs qui circa locum habitabant, id facere uideret, increpabat, quòd fluuium turbaret, et claram aquam non sineret bibere: & is respondit, sed nisi sic fluuius perturbetur, me oportebit esurientem mori.

Fabula significat, ciuitatum etiam rectores tunc maxime operari, cum patrias in seditionem induxerint.

Simius & delphis.

Moris cum esset nauigantibus Melitenses catulos & simios adducere in solamen nauigationis, quidam habebat secum & simium. Cum autem peruenissent ad Sunium Atticæ promontorium, tempestatem uehementem fieri

contigit: nauí autem euersa, & omnibus natantibus, natabat & simius. Delphis quispiam ipsum conspicatus, & hominem esse ratus, digressus leuabat, ad terram perferens. Vt uero in Piræo fuit Athenensium nauali, rogauit simium, an genere esset Athenensis. Cum autem hic diceret & claris hic esse parentibus, rogauit, an & Piræum sciret. Ratus autem simus de homine eum dicere, ait, & ualde amicum esse ei, & familiarem. At Delphis tanto mendacio indignatus, submergens ipsum occidit.

Fabula in uiros, qui ueritatem ignorantes existimant se decipere.

Muscæ.

IN cella quadam melle effuso, muscæ aduolantes comedebant. Implicitis autem earum pedibus euolare non poterant: cum uero suffocarentur, dicebant, Miseræ nos, quia ob modicum cibum perimus.

Fabula significat, multis gulam multorum malorum esse causam.

Mercurius & statuarius.

MErcurius scire uolens, quanti apud homines esset, iuit in statuarij domum transformatus in hominem: & uisa statua Iouis, rogabat, quanti quis ipsam emere posset. Hic autem cum dixisset, drachma, risit. Et quanti Iunonis, ait? Cũ dixisset, pluris: uisa & sua ipsius statua, ac opinatus cum nuntius sit deorum, & lucrosus, maximam de se apud homines haberi rationem, rogauit de se. Statuarius uerò ait, Si hasce emeris, & hanc additamentum do.

Fabula in uirum gloriosum, qui nullius apud alios est pretij.

Mercurius & Tiresias.

Mercu

Mercurius uolens Tiresiæ uaticinium an uerum esset cognoscere, furatus ipsius boues & rure uenit ad ipsum in urbem, similis factus homini, & ad ipsum diuertit. Boum autem amissione renunciata Tiresiæ, ille assumpto Mercurio exiuit, augurium aliquod de fure cõsyderaturus. Et huic iubet dicere sibi, quamnam auem uiderit. Mercurius autem primum uidisse aquilã à sinistris ad dextram uolantem, dixit. Hic non ad se id esse cum dixisset, secundo cornicem super arbore quadam sedentem uidit, & modo superius aspicientem, modo ad terram declinatam, uati refert. Et ire cognita ait, Sed hæc cornix iurat & cœlum, & terram, si tu uelis, meas me recepturum boues.

Hoc sermone uti quispiã poterit aduersus uirum furacẽ.

Canes.

Habens quidam duos canes, alterum uenari docuit, alterum domum seruare. Cæterum si quando uenaticus caperet aliquid, qui domum custodiebat, particeps unà cum eo erat cœnæ. Aegre ferente autem uenatico, & illi obiciente, quòd ipse quotidie laboraret, ille nihil faciens suis nutriretur laboribus, respondens ipse ait, Non me, sed herum reprehende, qui non laborare me docuit, sed labores alienos comesse.

Fabula significat, adolescentes qui nihil sciunt, haud esse reprehendendos, cum eos parentes sic educauerint.

Maritus & uxor.

Habens quidam uxorem, quæ domesticis omnibus inimica erat, uoluit scire an etiam erga paternos domesticos ita afficeretur. Quapropter cum rationabili prætextu ad suum patrem ipsam misit. Paucis uerò post diebus ea reuersa, rogauit quomodo aduersus illos habuisset. Hæc uerò

cum dixisset, Bubulci & pastores me suspectabant: ad eam ait, Sed ô uxor, si eos odisti, qui mane greges agunt, sero autem redeunt, quid sperare oportet in ijs, quibus cum tota conuersaris die?

Fabula significat, sic sæpe ex paruis magna, & ex manifestis incerta cognosci.

Hœdus & lupus.

HOedus derelictus à grege, persequente lupo, conuersus ad eum dixit, O lupe, quoniam credo me tuum cibum futurum, ne iniucunde moriar, cane tibia primum, ut saltem. Lupo autem canente tibia, atq; hœdo saltante, canes cum audiuissent, lupum persecuti sunt. Hic conuersus hœdo inquit, Merito hæc mihi fiunt, oportebat enim me cocus cum sim, tibicinem non agere.

Fabula significat, qui ea, quibus natura apti sunt negligunt, quæ uero aliorum sunt, exercere conantur, in infortunia incidere.

Cancer & uulpes.

CAncer è mari cum ascendisset, in loco quodam pascebatur. Vulpes esuriens ut uidit, accessit, ac eum rapuit. Ille deuorandus ait, sed ego condigna patior, qui marinus cum sim, terrestris esse uolui.

Fabula significat, homines, etiam qui proprijs derelictis exercitijs, ea quæ nihil conueniunt aggrediuntur, merito infortunatos esse.

Citharœdus.

CItharœdus rudis in domo calce incrustata familiariter, ut solebat, canens, & contra resonante in se uoce, existimabat ualde canorus esse: uerum elatus super hoc, cogitauit & in theatro sese cõmittere oportere. Profectus uero

ad

ad se ostendendum, cum male admodum caneret, lapidibus ipsum explosum abegerunt.

Fabula significat, sic ex rhetoribus quosdam, qui in scholis putant esse aliquid, cum ad respublicas se conferunt, nullius precij esse.

Fures.

FVres in domum quandam ingressi, nihil inuenerunt nisi gallum, atq; hoc capto abierunt. Hic ab eis occidendus rogabat, ut se dimitterent, dicens utilem esse hominibus noctu eos ad opera excitando. Hi uero dixerunt, Sed propter hoc te tanto magis occidimus: illos enim excitando, furari nos non sinis.

Fabula significat, ea maxime prauis esse aduersa, quæ bonis sunt beneficio.

Cornix & coruus.

COrnix coruo inuidens, quòd is per auguria hominibus uaticinaretur, ob idq; crederetur uti futura prædicēs, conspicata uiatores quosdam prætereuntes, iuit super arborem quandam, stansq; ualde crocitauit. Illis uero ad uocem conuersis, & admiratis, re cognita, quidam inquit, Abeamus heus uos, cornix enim est, quæ crocitauit, et auguriū nō habet

Fabula significat, eodem modo & homines præstantioribus certantes, præter quàm, quòd nō ad æqua perueniunt, risum quoq; debere.

Cornix & canis.

COrnix Mineruæ sacrificans, canem imitauit ad epulas. Ille uero ad eā dixit, Quid frustra sacrificia absumis? Dea enim adeo te odit, ut ex peculiaribus quoq; tibi augurijs fidem sustulerit. Cui cornix, Ob id magis ei sacrifico, ut reconcilietur mihi.

Fabula significat, plerosq; ob lucrum non uereri inimicos beneficijs prosequi.

Coruus & serpens.

CORuus cibi indigens, ut serpentem in aprico quodam loco dormientem uidit, hunc deuolando rapuit. Hic cum se uertisset, atq; momordisset ipsum, coruus moriturus dixit, Me miserum, qui tale reperi lucrum, quo etiam pereo.

Fabula in uirum, qui ob thesaurorum inuentionem de salute periclitatur.

Monedula & columbæ.

MOnedula in columbario quodam columbis uisis bene nutritis, dealbauit sese, iuitq;, ut & ipsa eodem cibo impertiretur. Hæ uero, donec tacebat, ratæ eam esse columbam, admiserunt: sed cum aliquando oblita uocem emisisset, tunc eius cognita natura, expulerunt percutiendo, eaq; priuata eo cibo, rediit ad monedulas rursum: & illæ ob colorē, cum ipsam non nossent, à suo cibo abegerunt, ut duorum appetens, neutro potiretur.

Fabula significat, oportere & nos nostris contentos esse, consyderantes auaritiam, præterquam quòd nihil iuuat, auferre sæpe & quæ adsunt bona.

Monedula.

MOnedulam cum quis cepisset, & pedem alligasset filo, suo tradidit filio. Hæc non ferendo uictum inter homines, ubi parumper libertatem nacta est, fugit, in suumq; nidum se contulit. Circunuoluto uero ramis uinculo, euolare haud ualens, cum moritura esset, secum loquebatur, Me miseram, quæ apud homines non ferendo seruitutem, incaute mea me uita priuaui.

Fabula

Fabula significat, nonnunquam quosdam, dum se à mediocribus student periculis liberare, in maiora incidere.

Mercurius.

IVpiter Mercurium iussit, ut artificibus omnibus mendacij medicamentum misceret: hic eo trito, & ad mensuram facto, ex æquo singulis miscet. Cum uero solo relicto sutore, multum superesset medicamenti, totum acceptum mortarium ei miscuit: atq; hinc contigit artifices omneis mentiri, maxime uero omnium sutores.

Fabula in mendaces artifices.

Iupiter.

IVpiter formatis hominibus, omneis illis affectus indidit, solum indere pudorem oblitus est. Quapropter non habens unde nam ipsum introduceret, per turbam ingredi eum iussit. Hic uero primum indignè ferens contradicebat: uehementius uero eo instante, ait: Sed ego sanè his ingredior pactis, si amor non ingrediatur, sin ingrediatur, ipse exibo quamprimum. Ex hoc sanè euenit, omnia scorta inuerecunda esse.

Fabula significat, captos amore inuerecundos esse.

Iupiter.

IVpiter nuptias celebrans, omnia animalia accipiebat: sola uero testudine tarde profecta, admirans causam tarditatis, rogauit eam, quamobrem ipsa ad cœnam non accesserat. Cum hæc dixisset, Domus chara, domus optima: iratus ipsi, damnauit ut domum baiulans circumferret.

Fabula significat, plerosq; homines eligere parce potius apud se uiuere, quàm apud alios laute.

Lupus & ouis.

Lupus à canibus morsus, & male affectus, abiectus iacebat. Cibi uero indigens, uisa oue, rogabat ut potum ex præterfluente flumine sibi afferret. Si enim tu mihi, inquit, dederis potum, ego cibum mihi ipsi inueniam. Illa recognita ait, Sed ego potum do tibi, tu & cibo me uteris.

Fabula in uirum maleficũ, per simulationem insidiantem.

Lepores.

Lepores olim belligerantes cum aquilis, inuocarunt in auxilium uulpes. Hæ autem dixerunt, Vobis auxiliarentur, nisi sciremus qui uos estis, & cum quibus præliamini.

Fabula significat, eos, qui cum præstantioribus certant, suam salutem contemnere.

Formica.

Quæ nunc formica, homo olim fuit: hic agriculturæ assidue incumbens, nõ erat proprijs laboribus contentus, sed & uicinorum fructus surripiebat. Iupiter autem indignatus huius auaritia, transmutauit eum in hoc animal, quæ formica appellatur. Verum cum mutasset formam, non & affectum mutauit: nam usq; nunc arua circumeundo, aliorum labores surripit, & sibi recondit.

Fabula significat, natura prauos, & si maxime speciem transmutauerint, mores non mutare.

Vespertilio & mustela.

Vespertilio in terram cum cecidisset, à mustela capta est: & cum occidenda foret, pro salute rogabat. Hac uero dicente, non posse ipsam dimittere, quòd natura uolucribus omnibus inimica foret, ait, non auem, sed murem esse: & sic dimissa est. Postremo autem cum iterum cecidisset, & ab alia capta mustela, ne uoraretur orabat. Hac autem dicente,

cente, cunctis inimicam esse muribus: hæc non mus, sed uespertilio esse dicebat: & rursus dimissa est: atq; ita euenit bis mutato nomine, salutem consecutam fuisse.

Fabula significat, neq; nos in eisdem semper esse oportere, consyderantes eos, qui ad tempus mutantur, plerunq; pericula effugere.

Viatores.

VIatores secundum littus quoddam iter facientes, iuerunt in speculam quandam, & illic conspicati sarmenta procul natantia, nauim esse magnam existimarunt: quamobrem expectarunt tanquam appulsura ea esset. Cum uero à uento lata sarmenta propius forent, non nauim amplius, sed scapham uidere uidebantur. Aduectis autem illis, cum sarmenta esse uidissent, inter se dixerunt, Vt nos igitur frustra, quod nihil est, expectabamus?

Fabula significat, nonnullos homines, qui ex improuiso terribiles esse uidentur, cum periculum feceris nullius esse pretij inueniri.

Asinus syluestris.

ASinus syluestris asino uiso domestico in loco quodam aprico, profectus ad ipsum, beatum dicebat & corporis habitudine, & cibi perceptione. Deinde uero cum uidisset eum ferentem onera, & agasonem retro sequentem, & baculis ipsum percutientem, ait, Ast ego non amplius beatum te existimabo: uideo enim non sine magnis malis habere te felicitatem.

Fabula significat, non esse æmulanda lucra, in quibus insunt pericula & miseriæ.

Asini.

Asini olim propterea quòd assidue onera ferrent & fatigarentur, legatos miserunt ad Iouem, solutionem laborum petentes. Hic autem ostendere ipsis uolens, id non fieri, ait, Tunc eos liberatum iri laboribus, cum mingendo fluuium fecerint. Ac illi cum uerum dicere existimantes, ex illo & nunc usq; ubi aliorum urinam uiderint asinorum, illic & ipsi circunstando mingunt.

Fabula significat, unicuiq; quod fatale est, incurabile esse.

Asinus & uulpes.

Asinus indutus pelle leonis, uagabatur reliqua bruta perterrendo. Cæterum uisa uulpe, tentauit & hanc perterrefacere. Hæc autem (casu enim ipsius uocem audiuerat) ad ipsum ait, Compertum habeto, quòd & ego timuissem, nisi rudentem audiuissem.

Fabula significat, nonnullos indoctos, qui ijs, qui extra sunt, aliqui esse uidentur, ex sua linguacitate redargui.

Asinus & ranæ.

Asinus ligna ferens, pertransibat paludem quandam. Lapsus autem ut decidit, nec surgere posset, lamentabatur, ac suspirabat. Ranæ autem quæ erant in palude auditis suspirijs, Heus tu, dixerunt: & quid faceres, si tanto hic tempore, quanto nos, fuisses, cum quia paululum cecidisti, sic lamenteris?

Hoc sermone uti quispiam poterit in uirum segnem, qui ob minimos quosq; labores tristatur, cum ipse maioribus facile resistat.

Asinus & coruus.

Asinus ulcerato dorso in prato quodam pascebatur. Coruo autem insidendo sibi, & ulcus percutiendo, asinus rudebat, ac saltabat, sed agasone procul stante, ac ri-

dente,

ridente, lupus præteriens, ipsum uidit, & dixit, Miseri nos, quos si tantum uiderit, persequitur, huic autem & arridet.

Fabula significat, maleficos homines, si tantum appareant dignosci.

Asinus & uulpes.

ASinus & uulpes inita inter se societate, exiuerunt ad uenationem. Leo uero cum occurrisset ipsis, uulpes imminens periculum uidens, profecta ad leonem, traditurum ei asinum pollicita est, si sibi impunitatem promiserit. Qui cum dimissurum eam dixisset, illa adducto asino, in casses quosdam ut incideret, fecit. Sed leo uidens illum fugere minime posse, primam uulpem comprehendit: deinde, sic ad asinum uersus est.

Fabula significat, eos, qui socijs insidiantur, sæpe & seipsos nescios perdere.

Gallina & hirundo.

GAllina serpentis ouis inuentis diligenter calefacta excudit. Hirundo autem cum eam uidisset, ait, O demens, qui hæc nutris, quæ cum excreuerint, à te prima iniuriam auspicabuntur.

Fabula significat, implacabilem esse prauitatem, licet afficiatur maximis beneficijs.

Camelus.

CVm primum uisa est camelus, homines perterriti, & magnitudinem admirati fugiebant. Vbi uero procedente tempore cognouerunt ipsius mansuetudinem, confisi sunt eo usq; ut ad eam accederent. At intellecto paulo post beluæ non inesse bilem, eò contemptius iere, ut et frena ei imponerent, & pueris agendam traderent.

Fabula significat, terribiles res consuetudine contemptibiles fieri.

Serpens.

SErpens à multis hominibus pessundatus Iouem postulauit. Iupiter autem ad eum dixit, Si qui prior cõculcauit, pupugisses, nequaquam id facere secundus aggressus fuisset.

Fabula significat eos, qui prius inuadentibus resistunt, aliis formidolosos fieri.

Columba.

COlumba siti correpta, ut uidit quodam in loco poculum aquæ depictum, uerum rata, atq; multo elata impetu, inscia in tabulam offendit, usq; adeo ut & pennis ipsius perfractis in terram decideret, atq; à quodam occurrentium caperetur.

Fabula significat, nonnullos homines ob uehementes alacritates inconsulto res aggredientes, inijcere sese in perniciem.

Columba & cornix.

COlumba in columbario quodam nutrita, fœcunditate superbiebat. Cornix uero ea audita, ait, Heus tu, de fine hac re gloriari: nam, quo plures paris, eo plus mœroris accumulas.

Fabula significat, ex famulis quoq;, eos esse infelicissimos, qui in seruitute multos filios faciunt.

Diues.

DIues duas habens filias, altera mortua, præficas conduxit. Cum uero altera filia dixisset, Vt nos miseræ ipsæ, ad quas pertinet luctus, lamẽtari nescimus: hæ uero non necessariæ sic uehementer plangunt: mater ait, Ne mirare filia, si hæ ita lamentantur, nam nummorum gratia id agunt.

Fabula

Fabula significat, nonnullos homines ob auaritiam non uereri alienis calamitatibus quæstum facere.

Pastor.

PAstor actis in quercetum quoddam ouibus, strata sub quercu ueste, ascendit, & fructum decutiebat. Oues uero inter edendum glandes, nesciæ & uestes una deuorarunt. At cum pastor descendisset, ut quod erat actum, uidit, O pessima ait, animalia, uos cæteris uellera ac uestes præbetis; à me uero qui uos nutrio, & uestem surripitis.

Fabula significat, plerosq; homines ob dementiam eos, qui nihil attinent, beneficio afficere, in domesticos mala operari.

Bubulcus.

BVbulcus armentum taurorum pascens, amisit uitulum, lustrando omnem solitudinem, indagãdo moram traxit. Vbi inuenire nihil potuit, precatus est Iouem, si furem qui uitulum cepit, ostenderit, hœdum in sacrificium oblaturũ. Cæterum proficiscens in quercetum quoddam, inuenit à leone deuorari uitulum. Trepidus igitur, & perterrefactus, eleuatis manibus suis in cœlum, ait, O domine Iupiter, promiseram tibi hœdum me daturum esse, si furem inuenirem: nunc taurum tibi recipio sacrificaturum, si huius manus effugero.

Fabula in homines infortunatos, qui dum quippiam amiserint, precantur ut inueniant: cum inuenerint, quærunt effugere.

Aquila.

SVper petra aquila sedebat, leporem captura: hanc autem quidam percussit sagitta, quæ intra ipsam ingressa est: sed crena cum pennis ante oculos stabat: quam cum uidisset, Et hoc mihi altera mœstitia, quòd proprijs pennis inteream.

Fabula significat, terribiles res consuetudine contemptibiles fieri.

Serpens.

SErpens à multis hominibus pessundatus Iouem postulauit. Iupiter autem ad eum dixit, Si qui prior cõculcauit, pupugisses, nequaquam id facere secundus aggressus fuisset.

Fabula significat eos, qui prius inuadentibus resistunt, aliis formidolosos fieri.

Columba.

COlumba siti correpta, ut uidit quodam in loco poculum aquæ depictum, uerum rata, atq; multo elata impetu, inscia in tabulam offendit, usq; adeo ut & pennis ipsius perfractis in terram decideret, atq; à quodam occurrentium caperetur.

Fabula significat, nonnullos homines ob uehementes alacritates inconsulto res aggredientes, inijcere sese in perniciem.

Columba & cornix.

COlumba in columbario quodam nutrita, fœcunditate superbiebat. Cornix uero ea audita, ait, Heus tu, de fine hac re gloriari: nam, quo plures paris, eo plus mœroris accumulas.

Fabula significat, ex famulis quoq;, eos esse infelicissimos, qui in seruitute multos filios faciunt.

Diues.

DIues duas habens filias, altera mortua, præficas conduxit. Cum uero altera filia dixisset, Vt nos miseræ ipsæ, ad quas pertinet luctus, lamẽtari nescimus: hæ uero non necessariæ sic uehementer plangunt: mater ait, Ne mirare filia, si hæ ita lamentantur, nam nummorum gratia id agunt.

Fabula

Fabula significat, nonnullos homines ob auaritiam non uereri alienis calamitatibus quæstum facere.

Pastor.

PAstor actis in quercetum quoddam ouibus, strata sub quercu ueste, ascendit, & fructum decutiebat. Oues uero inter edendum glandes, nesciæ & uestes unà deuorarunt. At cum pastor descendisset, ut quod erat actum, uidit, O pessima ait, animalia, uos cæteris uellera ac uestes præbetis; à me uero qui uos nutrio, & uestem surripitis.

Fabula significat, plerosq; homines ob dementiam eos, qui nihil attinent, beneficio afficere, in domesticos mala operari.

Bubulcus.

BVbulcus armentum taurorum pascens, amisit uitulum, lustrando omnem solitudinem, indagãdo moram traxit. Vbi inuenire nihil potuit, precatus est Iouem, si furem qui uitulum cepit, ostenderit, hœdum in sacrificium oblaturũ. Cæterum proficiscens in quercetum quoddam, inuenit à leone deuorari uitulum. Trepidus igitur, & perterrefactus, eleuatis manibus suis in cœlum, ait, O domine Iupiter, promiseram tibi hœdum me daturum esse, si furem inuenirem: nunc taurum tibi recipio sacrificaturum, si huius manus effugero.

Fabula in homines infortunatos, qui dum quippiam amisserint, precantur ut inueniant: cum inuenerint, quærunt effugere.

Aquila.

SVper petra aquila sedebat, leporem captura: hanc autem quidam percussit sagitta, quæ intra ipsam ingressa est: sed crena cum pennis ante oculos stabat: quam cum uidisset, Et hoc mihi altera mœstitia, quòd proprijs pennis inteream.

Fabula significat, terribiles res consuetudine contemptibiles fieri.

Serpens.

SErpens à multis hominibus pessundatus Iouem postulauit. Iupiter autem ad eum dixit, Si qui prior cōculcauit, pupugisses, nequaquam id facere secundus aggressus fuisset.

Fabula significat eos, qui prius inuadentibus resistunt, aliis formidolosos fieri.

Columba.

COlumba siti correpta, ut uidit quodam in loco poculum aquæ depictum, uerum rata, atq; multo elata impetu, inscia in tabulam offendit, usq; adeo ut & pennis ipsius perfractis in terram decideret, atq; à quodam occurrentium caperetur.

Fabula significat, nonnullos homines ob uehementes alacritates inconsulto res aggredienteis, inijcere sese in perniciem.

Columba & cornix.

COlumba in columbario quodam nutrita, fœcunditate superbiebat. Cornix uero ea audita, ait, Heus tu, de fine hac re gloriari: nam, quo plures paris, eo plus mœroris accumulas.

Fabula significat, ex famulis quoq;, eos esse infelicissimos, qui in seruitute multos filios faciunt.

Diues.

DIues duas habens filias, altera mortua, præficas conduxit. Cum uero altera filia dixisset, Vt nos miseræ ipsæ, ad quas pertinet luctus, lamētari nescimus: hæ uero non necessariæ sic uehementer plangunt: mater ait, Ne mirare filia, si hæ ita lamentantur, nam nummorum gratia id agunt.

Fabula

Fabula significat, nonnullos homines ob auaritiam non uereri alienis calamitatibus quæstum facere.

Pastor.

PAstor actis in quercetum quoddam ouibus, strata sub quercu ueste, ascendit, & fructum decutiebat. Oues uero inter edendum glandes, nesciæ & uestes una deuorarunt. At cum pastor descendisset, ut quod erat actum, uidit, O pessima ait, animalia, uos cæteris uellera ac uestes præbetis; à me uero qui uos nutrio, & uestem surripitis.

Fabula significat, plerosq; homines ob dementiam eos, qui nihil attinent, beneficio afficere, in domesticos mala operari.

Bubulcus.

BVbulcus armentum taurorum pascens, amisit uitulum, lustrando omnem solitudinem, indagando moram traxit. Vbi inuenire nihil potuit, precatus est Iouem, si furem qui uitulum cepit, ostenderit, hœdum in sacrificium oblaturũ. Cæterum proficiscens in quercetum quoddam, inuenit à leone deuorari uitulum. Trepidus igitur, & perterrefactus, eleuatis manibus suis in cœlum, ait, O domine Iupiter, promiseram tibi hœdum me daturum esse, si furem inuenirem: nunc taurum tibi recipio sacrificaturum, si huius manus effugero.

Fabula in homines infortunatos, qui dum quippiam amisserint, precantur ut inueniant: cum inuenerint, quærunt effugere.

Aquila.

SVper petra aquila sedebat, leporem captura: hanc autem quidam percussit sagitta, quæ intra ipsam ingressa est: sed crena cum pennis ante oculos stabat: quam cum uidisset, Et hoc mihi altera mœstitia, quòd proprijs pennis inteream.

Fabula significat, durum esse, cum quis à suis periculum patiatur.

Vermis & uulpes.

QVi sub cœno celabatur uermis, super terram egressus dicebat omnibus animalibus, Medicus sum, medicaminum doctus, qualis est Pæon deorum medicus. Et quomodo, ait uulpes, alios curans, teipsum claudum non curas?

Fabula significat, nisi præsto experientia fuerit, omne uerbum inane esse.

Gallina auripara.

GAllinam quis habens oua aurea parientem, ratus intra ipsam auri massam inesse, occisam alijs gallinis similem reperit. Hic multũ sperans inuenire diuitiarum, et exiguis illis priuatus est.

Fabula significat, oportere contentum esse præsentibus, & fugere inexplebilitatem.

Lupus & uetula.

LVpus esuriens circuibat quærendo cibum. Profectus autem ad locum quendam audiuit lugẽtem puerulum, eiq; dicentem anum, Desine plorare: sin minus, hac hora tradam te lupo. Ratus igitur lupus serio loqui aniculam, expectabat ad multam horam. Sed cum aduenisset uespera, audit rursus anum blandientem puerulo, ac dicentem, Si uenerit lupus huc, interficiemus eum fili. His auditis, lupus eundo dicebat, In hoc tugurio aliud dicunt, aliud faciunt.

Fabula in homines, quorum facta uerbis non respondent.

De culice & leone.

CVlex ad leonem accedens, ait, Neq; timeo te, neq; fortior me es: imo mihi adesse uirium ideo existimas

quòd

quòd laceres unguibus, & dentibus mordeas? hoc & fœmina cum uiro pugnans facit. Ego uerò longe sum te fortior. Si uerò uis, uenamus ad pugnam. Et cum tuba cecinissent, culex inhæsit mordens circa nares ipsius leueis genas, leo autem proprijs unguibus dilaniauit seipsum, donec indignatus est. Culex autem uicto leone cũ sonuisset tuba, & epinicium cecinisset, euolauit. Araneæ uerò uinculo implicitus cum deuoraretur, lamentabatur quòd cum maximis pugnans, à uili animali aranea occideretur.

Fabula in eos, qui prosternunt magnos, & à paruis prosternuntur.

FINIS.

SALES SIVE FACETIAE MVLTVM IVCVNDAE, selectæ ex libello Poggij Florentini oratoris eloquentissimi.

De pigritia adolescentis.

DONATIVS *adolescens facetus ex familia Guascorum, dum essemus Constantiæ admodum tarde surgebat è lecto. Cũ socij eam tarditatem culparẽt, quidue tam diu in lecto ageret percontarentur, subridens respondit: Litigantes, discentesq; auscultо. Adsunt enim mane mihi cuestigio cũ expergiscor duæ habitu muliebri, solicitudo uidelicet & pigritia, quarũ altera surgere hortatur, & aliquid operis agere neq; diem in lecto terere, altera priorem increpans, quiescen-*

dum asserit, & propter frigoris uim in calore lecti permanendum, indulgendumq; corporis quieti, neq; semper laboribus uacãdum. Prior insuper rationes suas tuetur, ita ut cum diutius disputent atq; altercentur, ego tanquam æquus iudex, nullam in partem declinans, audio disputantes, expectans quoad sint sententia concordes, hinc fit, ut surgam tardius, expectans litigij finem.

De gallo & uulpe.

ESuriens quondam uulpes, ad decipiendas gallinas (quæ gallo duce arborem excelsiorem, quò sibi aditus non erat, ascenderant) ad gallum blande accessit, quem cum comiter salutasset, quid in excelso agis, inquit? Nunquid non audisti noua hæc recentia tam salutaria nobis? Nequaquã gallus cum respondisset, atqui prænuncia huc accessi, ait, ad communicandum tecum alacritatem. Animalium omnium consilium celebratum est, in quo pacem perpetuam omnium animantium inter se firmârunt, ita ut omni sublato timore, nulli ab altero insidiæ aut iniuriæ fieri amplius queant, sed pace & concordia omnes fruantur, licet abire unicuiq; uel soli quò uelit secure. Descendite igitur, et hunc festum agamus diem. Cognita uulpis fallacia, gallus inquit: Bonum adfers nuncium & mihi gratum, & simul collum altius protendẽs, prospecturóq; longius & admirãti similis, in pedes se erexit. Tum, quidnam aspicis, uulpes cum dixisset: Duos inquit magno cursu, ore patulo aduentantes canes. Tum tremebunda uulpes Valete, inquit, mihi fuga expedit, antequam illi aduenant, & simul cœpit abire. Hic gallus, quonam fugis, aut quid times ait? Siquidem pace constituta nihil est timendum. Dubito, inquit uulpes, an canes isti audierint decretum pacis. Hoc pacto dolo illusus est dolus.

De muliere obstinata, quæ uirum pediculosum uocauit.

MVlier quædam è nostris, admodum uiro contraria, semper uerbis eius obiurgando refragabatur, perstans in eo quod cœperat, ita ut superior esse uellet. Habita semel cum uiro graui altercatione, maritum pediculosum uocauit. Ille ut uerbum id retractaret, uxorem uerberibus contundebat, pugnis cædens ac calcibus. Quo magis cædebatur, eo plus illa pediculosum appellabat. Vir tandem uerberando lassus, ut uxoris pertinaciam superaret, per funem in aquæ puteum demisit, suffocaturum se dicens, nisi uerbis eiusmodi abstineret. Instantius perseuerabat etiam in aqua mentum usq; constituta, uerbum illud continuans. Tum uir ne amplius loqui posset, in puteum demersit, tentans si eam mortis periculo à uerborum pertinacia posset auertere. At illa loquendi facultate adempta, etiam dum suffocaretur, quod loqui nequibat, digitis exprimebat. Nam manibus super caput erectis, atq; unguis utriusq; pollicis coniunctis, saltem quod potuit gestu, uiro pediculos obijciebat, unguibus enim eorum digitorum pediculi à fœminis occidi consueuerunt.

De eo qui uxorem in flumine peremptam quærebat.

ALter uxorem quæ in flumine perirat quærens, aduersus aquam proficiscebatur. Tum quidam admiratus cum deorsum secundum aquæ cursum illam quæri admoneret, Nequaquam hoc modo reperiretur, inquit: ita enim dum uixit difficilis ac morosa fuit, reliquorumq; moribus contraria, ut nunquam nisi contrario & aduerso flumine, etiam post mortem ambulet.

De sacerdote qui caniculum sepeliuit.

ERat sacerdos rusticanus in Tuscia admodum opulentus, hic caniculum sibi charum cum mortuus esset sepeliuit in cœmiterio. Sensit hoc episcopus: & in eius pecuniam animum intendés, sacerdotem ueluti maximi criminis reum ad se puniendum uocat. Sacerdos qui animum episcopi satis nouerat, quinquaginta aureos secum deferens, ad episcopum deuenit. Qui sepulturam canis grauiter accusans, iussit ad carceres sacerdotem duci. Hic uir sagax, O pater inquit, si nosceres qua prudentia caniculus fuit, nõ mirareris si sepulturam inter homines meruit. Fuit enim plus quàm ingenio humano, tum in uita, tum præcipue in morte. Quid nam hoc est, ait episcopus? Testamentum, inquit sacerdos, in fine uitæ condens, sciensq; egestatem tuam, tibi quinquaginta aureos ex testamento reliquit, quos mecum detuli. Tum episcopus testamentum & sepulturam comprobans, accepta pecunia, sacerdotem absoluit.

De milite qui uxorem habuit litigiosam.

HAbebat Florentinus eques admodum nobilis uxorem litigiosam ac peruersam, quæ quotidie ad religiosum confessorem (uelut aiunt) deuotum suum, querelas uiri & uitia deferebat. Hic equitem reprehendebat, obiurgabatq;. Aliquando uerbis admonitus uxoris, & ut pacem inter eos poneret, rogauit uirum ad confessionem peccatorum. Qua facta, non dubitabat conuenturam inter eos concordiam. Paruit eques. Et cum religiosus eum sua peccata explicare iussisset, Nequaquam est opus, inquit, quicquid enim unquam commisi, & multo plura etiam ab uxore sæpius tibi recitata extiterunt.

Facem

Facetissimum de sene quodam qui asinum portauit super se.

Dicebatur inter secretarios Pontificis, eos qui ad uulgi opinionem uiuerent, miserrima premi seruitute, quum nequaquam possibile esset, cum diuersa sentirent, placere omnibus, diuersis diuersa probantibus. Tum quidam ad eam sententiam fabulam retulit, quam nuper in Alemania scriptam pictamq; uidisset. Senem ait fuisse, qui cum adolescentulo filio præcedente absq; onere asello, quē uenditurus erat, ad mercatum proficiscebatur. Prætereuntibus uiam, quidam in agro opus facientes, senem culparunt, quod asellum nihil ferentem neq; pater, neq; filius ascendisset, sed uacuū onere sinerent, cum alter senectute, alter ætate tenera uehiculo egeret. Tum senex adolescentem asino imposuit, ipse pedibus iter faciens. Hoc alij conspicientes, increparūt stultitiam senis, quòd adolescente qui ualidior esset super asinum posito, ipse ætate confectus, pedes asellum sequeretur. Immutato consilio atq; adolescente deposito, ipse asinum ascendit. Paulum uero progressus, audiuit alios se culpantes, quòd paruulum filium nulla ratione ætatis habita, tanquam seruū post se traheret ipse asello qui pater erat, insidens. His uerbis permotus, filium asello secum superimposuit. Hoc pacto iter sequens, interrogatus inde ab alijs an suus esset asellus, cum annuisset, castigatus est uerbis, quòd eius tanquam alieni nullam curam haberet, minime apti ad tantum onus, cum satis unus ad ferendum esse debuisset. Hic homo perturbatus tot uarijs sententijs, cum neq; uacuo asello, neq; ambobus, neq; altero super impositis absq; calumnia progredi posset, tandem asellum pedibus iunctis ligauit, atq; baculo suspensum suo filijq; collo superimpositum, ad mercatum deferre cœpit.

Omnibus propter nouitatem spectaculi ad risum effusis, ac stultitiam amborum, maxime uero patris increpantibus, indignatus ille supra ripam fluminis consistens, ligatum asinum in flumen deiecit, atq; ita amisso asino domum redijt. Ita bonus uir dum omnibus parere cupit, nemini satisfaciens asellum perdidit.

De homine qui in somnis aurum reperiebat.

AMicus quidam noster aurum à se repertum noctu per somnum referebat in cœtu. Tum quidam: Vide ne tibi accidat, ait, quod meo uicino, cui aurum in stercus cecidit. Cum somnium narrari posceremus, Vicinus, inquit, noster somniauit ductum se à dæmone in agrum ad aurum effodiendum, & cum multum reperisset, Non licet inquit nũc dæmon auferre, sed signa locum ut cognosci à te solo queat: Cum alter quo signaculo uteretur peteret, Caca hic, dæmon inquit, nam hoc maxime modo nullus hic esse aurum suspicabitur, & tibi soli res nota erit. Annuit uir. Et statim expergefactus, sensit se in lecto uentrem admodum laxasse. Inter fœtorem & stercus cum surrexisset, domum exiturus, capiti capitium ultimo imposuit, in quo catus ea nocte stercus fecerat, iniquo fœtore permotus, inquinatum caput & cæsariem lauit. Ita aureum somnium in merdam redijt.

Derisio hominis porcum occidere uolentis.

MOs erat in oppido quodam Piceni, ut qui hyeme porcum occidisset, uiciniam ad cœnam inuitaret. Quidam quo pacto eam impensam uitaret, compatrem cõsuluit. Dic, inquit, ille, eras, porcum tibi hac nocte furto ablatum.

Et

Et simul, nihil tale illo uerente, quidam clam porcum nocte surripuit. Mane conspiciens sibi porcum ablatum, ad compatrem profectus, alta uoce querebatur porcum sibi furto surreptum. Tum alter, recte compater mi sapis, inquit, ita enim te docui locuturum. Cum ille sæpius & per deos omnes iuraret id uerum esse, Bene agis respondebat, & secundum consilium meum. Cum ille iuramento iteraret, Hoc modo te loqui debere antea monui, respõdebat, & sanum cõsilium dedi tibi. Tandem elusus abijt.

De uulpe à rustico in palea abscondita.

VVlpes olim fugiens in uenatione canes, diuertit ad rusticum qui in area triticum terebat, rogans ut à canibus tueretur, & simul pollicita est nunquam se eius pullos gallinaceos læsuram. Annuit rusticus conditioni, & sumptis paleis furcula uulpem texit. Aduenit unus & item alter ex uenatoribus, uulpem quærens. Rogitabant autem rusticum, Nunquid uulpem fugientem uidisset, & iter eius. Ille uerbis uulpem per certam uiam diffugisse, nutu uero & oculis latere sub paleis innuebat. Illi potius ad uerba, quàm nutum respicientes, abierunt. Tum rusticus detecta uulpe, serua modo inquit promissa. Nam uerbis meis euasisti, cum dicerem te abisse. At illa quæ sibi timens per rimam inter paleas rusticum contemplabatur diligenter, Verba tua inquit fuere bona, sed actus satis mali. Dictum in eos, qui unũ uerbis, aliud re agunt.

De Florentino qui equum emerat.

NOtus mihi Florentinus Romæ empturus necessario equum, pactus est cum uenditore, qui uiginti quinque aureos precium carius æquo postulabat, se quindecim datu-

rum in præsentia, reliquorum uero se debitorem eius esse uelle annuit. Venditor postridie cum residuum peteret, solutionem recusans, serua conuenta, emptor inquit. Pepigimus quidem ut debitor tuus sim futurus, si autem sibi satis feciſſet, se non futurum amplius debitorem.

De Aegyptio hortato ad fidem.

Hortatus est Christianus quendam infidelem Aegyptium, quo cum sibi diutina uitæ consuetudo fuerat, cum is in Italiã ueniſſet, ut semel intereſſet in ecclesia, dum missa solennis celebraretur. Assentitur ille, & missæ interfuit cum Christianis. Rogatus deinde in cœtu, quid sibi de ceremonijs & solennitate officij uideretur, respondit omnia recte & ex ordine præter unum sibi uideri facta, nullã enim charitatem in ea missa esse seruatã, cum unus solus reliquis esurientibus comediſſet ac bibiſſet, nulla portione cibi ac potus reliquis impensa.

Facetum hominis dictum asinum erudire promittentis.

Tyrannus ad exhauriendum bona subditi, qui se multa facturum iactabat, sub graui pœna præcepit, ut asinum literas doceret. Ille impossibile ait fore, nisi multum temporis sibi in erudiendo asino concederetur. Petere quantum uellet iussus, decennium impetrauit. Deridebatur ab omnibus, quoniam rem impossibilem suscepiſſet. Ille amicos solatus, Nil timeo, inquit, nam interim aut ego moriar, aut asinus, aut dominus. Quibus uerbis ostendit, salutare esse rem difficilem in longum protrahi atq; differri.

De sacerdote (Epiphania an uir esset, uel fœmina) ignorante.

Socius

Socius quidam in festo Epiphaniæ narrauit mihi stultitiam ridiculam sacerdotis cõtribulis sui. Sacerdos fuit, inquit, qui populo nuncians Epiphaniæ celebritatem futuram. Cras ait summa deuotione uenerémini Epiphaniam, maximum est enim & præcipuum festum, nescio autem uir fuerit, an femina, sed quisquis extiterit, à nobis est summo tĩ more hic dies custodiendus.

De cantilena tabernarijs placita.

Viator quidam esuriens, cum diuertisset ad cauponulam, uentrem cibo potúq; farciuit. Petente pecuniam, ait, nullos sibi esse nummos, sed cantilenis se satis esse factu rum. Tabernarius non cantu, sed precio sibi opus esse respondit. Quid alter, si eam cantionem dicam quæ placeat tibi, num ea pro pecunia contentus eris? Annuente caupone, cœpit uiator canere: & an ea placeret interrogauit. Cum abnuisset caupo, unam & deinde alteram cecinit. Nullius cantu sibi satis fieri ille testatus est. Hic uiator: dicam ergo nunc inquit, eam quæ tibi sit placitura. Et arrepto marsupio dissoluenti similis, cœpit cantionem qua uiatores uti consueuerunt, Mitti mano alla borsa, & paga loste, hoc est, mitte manum ad bursam, & satisfac hospiti. Hac dicta, nunquid illa sibi placeret rogat? Placet hæc, inquit hospes. Tum uiator, satisfactum est tibi ex pacto ait, postquam hæc cantio placuit tibi. Itaq; absq; solutione discessit.

De sancti Antonij fratre, & laico ac lupo.

Religiosus ex his quæstuarijs qui pro sancto Antonio eleemosynam petunt, agricolæ ad dandum sibi nescio quid frumenti persuasit, ea pollicitatione, ut assereret res omnes suas & oues præsertim per eum annum saluas atq; incoa-

lumes fore. Huiusmodi rusticus promissis fidens, cum oues licentius uagari permisit, lupus plures ex eis comedit. Qua re indignatus uillicus, cum anno altero quæstuarius pro frumento rediret, negauit se quicquã daturum, & simul questus est inanes suas fuisse pollicitationes. Scisciatus causam, respondit ab lupo oues suas raptas. Lupus, inquit alter? Oho, mala bestia est, & absq; fide: caue tibi ab ea. Non enim sanctum Antonium tantum, sed ipsum Christum si posset, falleret. Stultum est in his fidere, quorũ exercitium in fraud dando consumitur.

Ridenda de paucitate amicorum Dei responsio.

AD ægrum quendam ciuem nostrum perfacetum, qui graui morbo diutius torquebatur, accessit religiosus hortandi gratia. Cum uero inter cætera consolationis uerba dixisset, solere deum quos diligeret, hoc pacto castigare & incommodis afficere, Non mirum est (inquit ægrotus) si tam paucos amicos habet, habiturus si ita tractaret eos, etiam pauciores.

De Iudæo nonnullorum suasu Christiano facto.

IVdæum cum multi hortarentur ad Christi fidem, ægre ille bona sua dimittebat. Suadebant complures ut ea daret pauperibus, quoniam secundum euangelicam sententiam quæ esset uerissima, centuplum esset accepturus. Persuasus tandem ad fidem conuersus est, distributis inter pauperes, egenos & mendicos bonis. Inde per mensem ferè hospitio exceptus est honorifice à diuersis Christianis. Cum ei omnes blandirentur, & laudarent factum, ille tamen qui precario uiueret, expectabat indies centupli promissionem. Et cum

multos

multos satietas cibandi hominis cepisset, iamq; rarus inuitator reperiretur, cœpit homo admodum egere, ita ut ei necesse esset diuertere ad hospitale quoddam: in quo morbo correptus ad extremum uitæ deuenit, cũ sanguis per posteriora efflueret. Desperans itaq; salutem, & simul pollicitatione diffisus centupli, ex anxietate quadam aerem quærens, egressus est lectulum ad secessum uentris in pratulum propinquum. Vbi cum constitisset, quæsitis post egestionem ad tergendum anum herbis, inuenit inuolutum linteum refertum lapidibus preciosis, qua re ditior factus adhibitis medicis conualuit: atq; domo empta & possessionibus, uixit postmodum in summa rerum opulentia. Cum ergo diceretur ab omnibus, Ecce, nónne uerum prædiximus tibi, deum centuplum redditurum? Reddidit, inquit ille, sed tamen prius, ut usq; ad interitum sanguinem cacarem permisit. Dictum contra eos, qui tardi in beneficio dando & reddendo existunt.

De medico qui insanos curabat.

PLures colloquebantur de superuacua cura, ne dicam stultitia eorum, qui canes & accipitres ad aucupium alunt. Tum Paulus Florentinus, recte hos (inquit) risit stultus Mediolanensis. Cum narrari fabulam poscceremus, Fuit inquit, olim ciuis Mediolani, dementium & insanorum medicus, qui ad se delatos infra certum tempus sanandos suscipiebat. Erat autem curatio huiusmodi. Habebat domi aream, et in ea lacunam aquæ fœtidæ atq; obscenæ, in qua nudos ad palum ligauit eos, qui insani adducebantur, aliquos usq; ad genua inguine tenus, nonnullos profundius, pro insaniæ modo, ac eos tam diu aqua atque inedia macerabat, quoad uiderentur sani. Allatus est inter cæteros quidam, quem usq; ad femur in aquam posuit, qui post 15. dies cœpit resipiscere,

ac curatorem rogare ut ex aqua reduceretur. Ille hominem exemit à cruciatu, ea tamen conditione ne aream egrederetur. Cui cum diebus aliquot paruisset, ut uniuersam domum perambularet, ut exteriorem ianuam non egrederetur permisit, reliquis socijs, qui plures erant, in aquis relictis, paruit diligenter medici mandatis. Stans uero aliquando super ostium, neq; enim egredi audebat timore lacunæ, aduenientem equestrem iuuenem cum accipitre & duobus canibus ex his qui sagaces dicuntur, ad se uocauit, rei motus nouitate. Neque enim quæ ante in insania uiderat, tenebat memoria. Cũ accessisset iuuenis, heus tu (inquit ille) ausculta oro me pauca, ac si libet respondebis, hoc quo ueheris, quid est, & quamobrem illud tenes? Equus est, inquit, & aucupij gratia: tum deinceps uero hoc quod manu gestas, quid uocatur, et in qua re illo uteris? Accipiter, respondit, & aucupio aptus querquedularum & perdicum. Tum alter: Hi qui te comitantur, qui sunt, age, & quid prosunt tibi? Canes ait, & aucupio accommodati ad inuestigandas aues. Hæ autem aues quarum capiendarum causa tot res paras, cuius precij sunt, si in unũ conferas totius anni capturam? Parum quid nescio cum respondisset, & quod sex aureos non excederet, subdit homo, quænam est equi, canum & accipitris impensa? Quinquaginta aureorum affirmauit. Tum admiratus stultitiam equestris iuuenis, Hoho inquit, abi hinc ocyus oro, atq; adeo auola, antequam medicus domum redeat. Nam si te hic comperierit, ueluti insanissimum omnium qui uiuant, in lacunam suam conijciet, curandum cum cæteris mente captis, atq; ultra omnes usq; ad mentum in aquam summam collocabit. Ostendit aucupij porrò studium summam esse amẽtiam, nisi aliquando & ab opulentis, & exercitij gratia fiat.

De

De abbate Septimi.

ABbas Septimi, homo corpulentus & pinguis, uesperi Florentiam proficiscens interrogauit rusticum obuium, an portam se ingredi existimaret. Intellexit abbas an putaret se peruenturum in urbem antequam clauderētur portæ. Ille uero in pinguedinem iocatus, atq; inquit, Currus fœni nedum tu portam introiret.

Facetissimum consilium Minatij ad rusticum.

RVsticus cum castaneam arborem ad excutiendos fructus ascendit, decidens ex ea, costam pectoris fregit. Ad hunc consolandum accessit Minatius quidam, homo perfacetus, qui inter loquendum daturum se normam dixit, qua seruata nunquam ex arbore caderet. Vellem hoc antea, inquit æger, consuluisses, attamen & in futurum poterit prodesse. Tum Minatius, Fac semper, inquit, ne sis celerior in descensu, sed ea qua ascendis tarditate descendas. Hoc pacto nunquam præcipitem te ages.

Eiusdem Minatij responsio.

IDem Minatius, cum aliquando nonnullos nummos & uestes ad talos (egenus enim erat) lusisset, flens ad ostium tabernæ cuiusdam sedebat. Videns merentem flentemq; amicus, Quidnam est tibi inquit? Nihil Minatius ait. Cur nam ergo si nihil habes ploras? Hoc solum quia nihil habeo, inquit. Admiratus ille, Quare ergo si nihil habes, ait, lachrymas? Ob hanc ipsam causam, respondit, quoniam nihil est mihi. Alter, nihil sibi est causa cur ploraret intelligebat: alter nihil sibi reliquum superesse à ludo plorabat.

De temerario qui asinos curabat.

FVit nuper Florentiæ homo confidens ac temerarius,

nulli arti deditus. Is cum legisset apud medicum quendam nomẽ & uirtutem certarum pillularum, quæ ad uarios morbos conferre dicebantur, existimauit homo ridiculus, se his solis pillulis de facili medicum euasurum. Confecto earum magno numero, urbem egressus, cœpit uagari per opida & uillas, medicinæ artem professus. Ad omnem autem ægritudinem has pillulas accommodabat: earumq; cura aliqui casu ualetudinem recuperarunt. Cum huius fama percreuisset, stulti apud stultos, quidam qui asinum suum amiserat, rogauit hominem, nunquid remedium ad recipiendum asinum haberet. Assensit ille, & ei sex pillulas deglutiendas dedit. Quibus sumptis, abiens postero die cum asinum quæreret, cogentibus pillulis de uia dicessit laxandi uẽtris gratia, & in arundinetum forte diuertit: ibi reperto asino pascente, medici scientiam & pillulas ad cœlum laudibus extulit. Ad hunc postmodum, ueluti alterum Aesculapium, magnus fiebat ruslicorum concursus, qui audierant medici medelas etiam ad recipiendos asinos accommodatas.

De medico qui in uisitatione infirmorum, tanquam indoctus, ipsos interfecit.

Medicus indoctus, sed uersutus, cum infirmos adhibito discipulo uisitaret, tangens (ut moris est) pulsum, si quem grauiorem solito sensisset, culpam in ægrotum conferebat, asserens aut ficus, aut pomum, aut quid aliud se prohibitum comedisse. Quod cum sæpissime faterentur ægri, uir diuinus uidebatur, qui ita errores morbo laborantium animaduerteret. Hoc admirans persæpe discipulus, rogauit medicum, quo nam modo pulsum tactu, an alia quadam altiori disciplina perciperet. Tũ ille, pro eius in se obseruantia,

hoc

hoc arcanum reseraturum pollicitus, Cum peruenio in cubiculum ægroti, ait, circumspicio in primis diligenter, etsi quid reliquiarum aut fructus cuiuspiam, aut alterius rei in pauimento supersit. Veluti, si castaneæ aut ficus corticem, uel nucis testam, aut pomorum frusta, aut aliud quippiã uiderim, coniector infirmum tale quid comedisse. Et sic ægrotorum incontinentiam in morbis grauioribus incuso, ut uidear procul à culpa si deterius se habuerint. Haud multo post discipulus & ipse quoq; cura medendi suscepta, sæpius eodem malo ægros culpabat, asserens edendi formulam ab se datam excessisse, & aliquid edisse pro ut ex reliquis coniectura esse qui poterat. Semel ad rusticanum inopem hominem accessit, cui cum ualetudinem pristinam se uestigio restituturum promisisset, si normam suam seruaret, data nescio qua potione, abscessit postridie reuersurus. Cũ rediisset, grauiori morbo æger afflictabatur. Hic homo stultus ac rudis, causam ne sciens, cum huc atq; illuc deflexisset oculos, nullasq; eiusmodi reliquias uidisset, æstuans animo, tandem sub lectulo asini clitellam conspexit. Tum calamitare cœpit, uestigio tãdem se percipere cur deterius se haberet æger, magnum excessum ab eo factum, quo miretur illum minime mortuum esse. Asinum quippe ægrum comedisse asserebat: existimans sella decocti asini uelut os carnis reliquias uideri. In stultitia sua deprehensus homo ridiculus, multos ad risum excitauit.

Fabula Mancini.

MAncinus uir rusticus, opidanus meus, frumento dũ Figignum castrum asellis uehẽdo exercebatur: quos ille complures ad uecturam sumebat. Cum ille semel à mercato rediẽs, fessus è uia ascendisset asinũ quendã præstantio-

rem, computatis in uia asinis qui præibant, domo appropin-quans, eo& quo uehebatur minime adnumerato, uisum est ei unum deesse. Turbatus igitur, ac reliquis asinis uxori quos restitueret commendatis, confestim eodem asino quo ferebatur ad mercatum septem milibus passuum retrocedit, quærens& à singulis obuijs, an asinum quempiam amissum repe-risset. Cum omnes negarent, domum noctu mœrens & dolens iacturam asini redijt: tãdem etiam ab uxore admonetur, cum descendisset illum quem tanto studio & dolore asinum quæsierat esse cognouit.

FINIS.

IO. FR. QVINTIANI STOAE POETAE FACVNdissimi Districha in Fabulas P. Ouidij Nasonis Metamorphoseon.

PRAEFATIO.

CLASSE *per undosi timida maris ire procellas*
Est animus, timidæ Musa faueto rati.
Namq; humili hac nostra Nasonis Musa pa-pyro
Stringitur, atq; suum perbreue carpit iter.
Nanq; suo uates ter quinq; uolumina libro
Inserit, in facies corpora uersa nouas.
Grande opus arctatur nostris (mirabile) chartis:
Distichon atq; suum fabula quæq; gerit.

Chaos.

Chaos.

Vnus in orbe Chaos uultus fuit: unaq; rerum
Lis, bellum, & cunctis rebus opaca domus.

Quid in Chao.

Si Chaos es, pictum quid te domus una capesit?
Quum fuerint cœlum, tartara, terra, Chaos.

Chaos in quatuor elementa.

Quanquam informe Chaos tamen omnibus omnia iunxit.
Nam terras flammis, aera iunxit aquis.

Zonæ quinq;.

Quinq; sumus zonæ, media æstuo, frigora torquent
Sæua duas, totidem sunt sub utroq; plagæ.

Terra.

Quæritis unde mihi fuerit locus infimus? hoc est,
Quod leuiora meo sunt elementa situ.

Aqua.

Me grauior tellus, & ab æthere tertius ordo
Est mihi, non ordo est quem dat iners populus.

Aer.

Ignitæ grauior paulum æthere proximus arci
Aer sum, sedes fulminis, & tonitrus.

Ventorum regiones.

Occiduum Zephyro littus datur, Eurus ab ortu
Flat, Scythiæ est Boreas, dat plaga uersa Notum.

Aether.

Me super hæc posuit melior natura carentem
Pondere, ob hoc summi sum Iouis alma domus.

Cui quodq; cesit.

Vix hæc facta, polus quum sydera, mobilis aer
Cepit aues, pisces undaq;, terra feras.

Hominis origo.

Quod sit phama hominem primum effinxisse Prometheu
Te miror, cum sit uir pater Iapetus.

Aurea ætas.

Aurea sub primis fulserunt tempora seclis,
Quum segetes nullo terra premente daret.

Argentea ætas.

Sub Ioue dum populos argenteus orbis adegit,
Saucia terra pati cœpit aratra boum.

Aerea ætas.

Promptior ad turmas, Martisq; ad prælia, postquam
Successit proles ærea, regna cadunt.

Ferrea ætas.

Ferrea mox ætas subijt, subiere cupido,
Insidiæ, arma, doli, uis, furor, ira, neces.

Gigantes.

Causa gigantæi Martis fuit arduus æther,
Si fuit hæc Martis causaq;, causa necis.

Gigantum sanguis in homines crudeles.

Postera quod soboles auidissima sanguinis esset,
Non miror, soboles postera sanguis erat.

Iuppiter in hominem.

Erranti humana sub imagine tecta Lycaon
Sæua Ioui, humanas præbuit atq; dapes.

De Lycaone.

Estote hinc procul hospites, Lycaon
Hic est, qui necat hospites Lycaon.

Lycaon in lupum.

Sum lupus Arcadiæ cui paruit inclyta tellus
Hospitis hoc precium est, quod dedit hospitio.

Lacteus

Lacteus circulus.

Nominor empyreo, quæ sum uia candida, cœlo
Lactea, diis iter est qua Iouis ad solium.

Diluuium.

Deucalionæo tellus fuit obruta ponto.
Et stetit in pratis piscis, in arce rates.

Parnasus.

Nubila uerticibus supero: genus ipse superstes
Seruaui humanum, dum foret unda solum.

Deucalion.

Non deus ipse uocor, quum sim Ioue maior, in undis
Mollia submersi saxa ego uiuifico.

Pyrrha.

Sexus ultima Pyrrha nequioris,
Sexus credita origo nequioris.

Lapides in homines.

Fecimus humanum lapides genus, ossa parentis
Præscia quos magnæ dixerat esse Themis.

Animalium origo.

Humano cur non uiuunt animalia sensu?
Hæc non Deucalion, limus at hæc genuit.

Python serpens.

Me Pythona manus strauit Phœbæa sagittis,
Quum uideo ludos Pythia, non peri.

Ad Apollinem.

Prostrauere tuæ tumidum Pythona sagittæ,
Te uolucris uicit sæua sagitta dei.

Cupidinis tela.

Tela Cupidineæ flammam aurea acuta pharetræ
Dant obtusa, fugant plumbea tela faces.

Ad Daphnen.

Siſte gradum Daphne, fugis hunc, cui tempora cinget
Frons tua, nanq; tuis laurus eris precibus.

Ad Peneum & Inachum.

Quid Penee gemis? parili gemis Inache luctu?
Vacca Io eſt, Daphne laurus, ob hoc gemimus.

Io in uaccam.

Inachida omnipotens compreſsit, at impia coniunx
Fecit, ut optarent per ſtabula alta boues.

Ad Argum.

Arge boues paſcis? fuge paſcua, lumina centum
Claudentur, ſola pro boue cæſus eris.

Mercurius in hominem.

Inſomnem domuit calamo Cyllenius Argum,
Atq; harpe factus paſtor Ariſtoriden.

Syrinx in harundinem.

Quam deus Arcadiæ uehementer amauit harundo eſt
Syrinx, quæ nomen fiſtula facta gerit.

Pauo de oculis Argi.

Quid gemitis uolucres ſtellantibus undiq; gemmis?
Olim hæc cauda mihi non erat, Argus erat.

Io in priſtinam figuram.

Vt periit cuſtos, ſtimulos dedit impia Iuno,
Et tandem precibus fio puella Iouis.

Iſis Dea.

Inachidos fronti ſunt cornua: cornua quare,
Eſt id, forma Deæ quod fuit ante bouis.

Epaphus Phaethon.

Si puerum enixa eſt Epaphum Iunonia pellex
Io, ſole ſatum quid Phaethonta negat?

Ad

Ad Clymenem.

Quid iuras Clymene, Phaethon non credulus, altas
Non inhiet (teneas) patris adire domos.

DISTICHA IN FABVLAS II. libri Ouidij Metamorphoseon.

Phaethontis casus.

VErus eram Phaethon, quid profuit igne trisulco
Si perij, regeret dum mea lora manus.

Aethiopes nigri.

Vrit dum Phaethon solum calore,
Fiunt Aethiopes nigri colore.

Ad tellurem querentem.

Quid quereris tellus coram Ioue? uana querela est.
Nam te non urunt fulmina, sed Phaethon.

Sorores Phaethontis.

Flebat apud tumulum Clymene Phaethontis, & ipsæ
Fleuimus, electrum nunc damus arboreæ.

Phaethontiades lachrymant.

Non dux uictor ouans cingat sua tempora fronde
Populea, lachrymant quod Phaethontiades.

Cygnus in olorem.

Rex ego Cygnus eram, tumulum Phaethontis adiui,
Qui modo sum diuûm numine factus olor.

Iuppiter in Dianam.

Heu fuge Calisto, non sunt hæc oscula Phœbes,
Sed faciem indutus Iuppiter est Triuiæ.

Calisto in ursam.

Hospite deluso lupus est pater ipse Lycaon,
Ast ego quod presit Iuppiter, ursa fui.

Calisto, & Archas in sydera.

Vrsa fui, fixurus erat mea pectora telo
Archas, non fixit, sydera at ambo sumus.

Coruus niger è candido.

Indicio cupijt quæ ab Apolline præmia coruus,
Hæc sunt, quod niger est, qui color albus erat.

Coronis in cornicem.

Virgo ope Palladia cornix quum facta Coronis,
Cur huic nulla Deæ gratia? lingua fuit.

Erichthonius.

Qui sine matre fuit soboles Vulcania Pallas
Anguipedem cista clausit Erichthonium.

Nyctimene in noctuam.

Perfida per tenebras uolitet cur noctua mirer,
Hæc si concubuit cum patre Nyctimene?

Aesculapius.

A patris ut perijt mater percussa sagittis,
Ad Chirona tulit me pater Aemonium.

Ocyroe in equam.

Diuorum Ocyroen referantem archana prapagem
Phillyridæ, ira deûm maxima fecit equam.

Apollo in pastorem.

Sensit Apollineum carmen Messenia tellus,
Quum foret Admeti pastor Apollo gregis.

Battus in lapidem.

Battus quàm merito lapis sit index,
A quo proditus est nepos Atlantis.

Mercurius in aliam formam.

Exu

Exul ob expulsos quum Phœbus ab arce Cyclopas
Alta, se ob Battum mutat Atlantiades.

Inuidiæ domus.

Sum domus inuidiæ Phœbæi luminis expers,
Ventorum & nullis peruia flaminibus.

Inuidiæ descriptio.

Pallor, dens, macies, dolor, uenenum,
Hæc sunt inuidiæ timenda signa.

Aglauros in saxum.

Cecropis Aglauros tabem sum passa Mineruæ,
Quodq; satum Maia lusi ego, facta lapis.

Iuppiter in taurum.

Armata omnipotens manus est cui fulmine, tauri
Indutus formam uexit Agenorida.

DISTICHA IN FABVLAS III. libri Ouidij Metamorphoseon.

Ad Cadmum.

CAdme quid adfectas perquirere facta tonantis?
Non genere humano uult minor esse tonans.

Serpens Martius.

Ignea cui fuerant fera lumina, lingua trisulca,
Serpentem, hasta grauis uicit Agenoridæ.

Draconis dentes in homines armatos.

Nuper qui fuerant feri Draconis,
Facti nunc galeata turba, dentes.

Actæon in ceruum.

Nudatæ Actæon uidit sacra pectora Phœbes,
Factus ob hoc ceruus, nunc ubi? præda canum est.

De Semele.

Vos miseros Semele quibus est depicta, Lyæum
Non pariet, pariet fulmina cum tonitru.

Iuno in uetulam.

Quid credis falsum Semele, quem es passa, tonantem?
Hæc uetula est Iuno, non anus est Beroe.

Bacchi origo.

Vt tua decessit formidine mater Iacche,
Raptus es ex utero, te tulit inde femur.

Tiresia in fœminam.

Fœmina qui uir eras icta serpente bacillo
Quum sis, Tiresia, est num scelus? an meritum?

Tiresia in uirum.

Septem qui mulier fuit per annos,
Et factus quoq; uir draconis ictu.

Tiresia obcæcatus.

Indice me omnipotens fuerit quod uictor, ademit
Lumina Iuno, dedit scire futura tonans.

Echo in uocem.

Echo Nympha fui, Iuno, quia furta tonantis
Occului, fecit, uox breuis ut fierem.

Ad Narcissum.

Quod petis ô Narcisse, tuum est, quam poscis imago
Est tua, discedas, flos eris hic croceus.

Echo in lapidem.

Vocalis Nymphæ fueram resonabilis Echo,
Narcissum uolui, sum lapis, erubuit.

Ad Penthea.

Lumina Echionidæ defossa quid obicis? heu, heu,
Lumina quàm fœlix si tibi adempta forent.

Bac-

Bacchus in puerum.

Nautæ ut polliciti eſtis, ite Naxon,
Non eſt hic puer, eſt ſacer Lyæus.

Nautæ in delphines.

Quantus Echionidæ Nyſeus narrauit Acoetes,
Inq; altum nautas deſiluiſſe fretum.

Pentheus laceratus.

Penthea quid lacerat mater, laceranq; ſorores?
Non aprum uiolant Penthea, ſed feriunt.

DISTICHA IN FABVLAS IIII. lib. Ouid. Metamorphoſeon.

Mineides.

SPreuerunt temere Mineides origia Bacchi,
Eſt ut adempta fides, ſic & adempta dies.

Dercetis in piſcem.

Diceris in piſcem Babylonia Derceti uerſa.
Eſt id quod Syrij piſcibus abſtineant.

Semiramis in columbam.

Dicor & ambiguum eſt uolucris quod Roma columbas
Has Syra quas dicit lingua ſemiramides.

Nais in piſcem.

Nais ut in nitidos uertit iuuenilia piſces
Membra hominum, paſſa eſt hoc quoq; Nais idem.

Mora ex albis nigra.

Candida quæ quondam fueramus poma deorum
Munere, nunc Thysbes nigra ſumus precibus.

Pyramus & Thysbe.

Quos non iunxit amor, iunxit rogus, arsit uterq;
Et uegrandis amor fecit utrumq; mori.

Ad Apollinem de adulterio Veneris cum Marte.

Inuide cur Venerem cum Marte ostendis Apollo?
Indicij pœnas inuide Apollo dabis.

Leucothoë in arborem.

Quem uata sum Eurymonen me presit Apollo sepulta
Viua fui, sed nunc thus fero Leucothoe.

Clytie in heliotropium.

Ora nouem ieiuna dies ad amantis ocellos
Flectebam, hoc facio facta ego flos Clytie.

Daphnis in saxum.

Daphnis pastor eras, te pellicis ira redegit
In saxum, tantæ sunt sub amore faces.

Scython modo uir modo fœmina.

Dum uir es ô Scython, te candida forte puella
Detinet, hoc factus fœmina num facies?

Celmus in adamantem.

Dum puer omnipotens puero charissimus, & tunc
Fidus eras, non nunc Celme id es, ast adamas.

Crocos & Smilax in flores.

Quæ Crocon insano Smilax ardebat amore,
Est flos, qui spreuit Smilaca, passus idem est.

Salmacis Nympha.

Hermaphroditus erat, uolui, nolebat, amabam.
Hic expers Veneris, deniq; corpus idem.

Salmacis fons.

Hinc procul ô iuuenes, tetrici procul este, remollit
Salmacis unius fons iuuenis precibus.

Her-

Hermaphroditus.

Sexus uterq; mihi est, qui nominor Hermaphroditus,
Nomine quiq; gero quis sit uterq; parens.

Telæ in uites & hederas.

Quid non thus redolet Mineides ara Lyæi?
Quum fiunt uites stamina, tela hederæ.

Vespertilio.

Non hanc penna leuat, sed auem membrana, perosa est
Quæ lucem, & syluas odit, amatq; domos.

Ino in deam.

Ino odium sum passa deæ Iunonis, & alto
Me emisi scopulo, sum dea non perij.

Melicerta.

Qui è saxo Melicerta decidisti,
Es factus deus æquoris Palæmon.

Inferorum urbs.

Sunt ibi mille aditus, ibi multa silentia, & umbræ,
Et semper Ditis ianua aperta domus.

Ad Cerberum.

Cerbere terna tibi cur guttura? maximus hydræ
Frater eram, & stygiæ seruo ego claustra domus.

Eumenides.

Tres sumus Eumenides, quibus est crinita colubris
Ceruix, ut nomen non sumus Eumenides.

Tytius.

Delia uim passa est, me oppressit Delius arcu,
Nunc præbent auibus uiscera nostra dapes.

Tantalus.

Lingua, dapes nocuere, tenent me tartara, labris
Tango undam sitiens, poma habeo esuriens.

Ad Sisyphum.

Sisyphe te extinxit Theuseus, quum Sisyphe saxum
Te grauat, an iusta est uindicis ira Dei?

Ixion.

Cui licuit nebulam infandis amplectier ulnis,
Ixion celeri uoluitur orbe rotæ.

Belides.

Belides extinctis adeunt patruelibus orcum.
Quas'q; petunt aptæ perdere semper aquas.

Learchi mors.

Ah demens Athamas, non est lea torua propago,
Quem perimis demens cerne, Learchus erit.

Veneris origo.

Falciferum phama est secuisse uirilia patri,
Ex quorum, & spuma, sanguine creta Venus.

Comites Inûs in lapides & aues.

Sidoniæ comitum conuitia non tulit Inûs
Iuno, sed in lapides uertit, & in uolucres.

Cadmus cum uxore in serpentes.

Cadmus in Illyricis fit serpens finibus (ut fors)
Id dum miratur fit draco & Harmonia.

Guttæ Medusæ in serpentes.

Orit ut anguigeri ceciderunt aere guttæ
In Libyen, Libye facta colubrifera est.

Atlas in montem.

Factus Atlas uiso mons Gorgonis ore cruentæ,
Dum metuit sortes, quos dedit alma Themis.

Andromedæ liberatio.

Liberat Andromedam pactis Daneia proles
Connubijs, uicto cæde dracone maris.

Andromedæ nuptiæ.

Perſeus Adromedæ rapuit connubia, ſed non
Læta, quòd armauit Phinea raptus amor.

Meduſæ cædes.

Perſeus anguicomam Phorcynida contudit harpe
Auxilio alipedis, Cecropidumq; deæ.

Virgæ in coralia.

Coralia immenſi fiunt uirgulta profundi
Gorgone, quid mirum? ſaxea membra facit.

Pegaſus è ſanguine Meduſæ.

Quàm primum anguigeram extinxit Danaëius heros,
Pegaſus è medio ſanguine natus auis.

Meduſæ capilli in ſerpentes.

In turpes colubros Minerua crines
Mutauit dea Gorgoni Meduſæ.

DISTICHA IN FABVLAS V. libri Ouidij Metamorphoſeon.

Cepheni in lapides.

Perſea Cephen proceres dum Marte grauarent,
Fecit membra caput ſaxea ſaxificum.

Phineus in ſaxum.

Phinea raptus amor concurrere ad arma coegit,
Et ſaxum anguicomæ compulit eſſe caput.

Prœtus in ſaxum.

Fit ſerpentigera lapis Meduſa
Prœtus, qui Acriſium fugârat armis,

Polydectes in ſaxum.

Te ſilicem fecit ueram Polydecta negabas
Eſſe necem cuius (ſic uaga phama) caput.

Musæ in aues.

Dum Nymphis cuperet uolucres uim inferre Pyreneus
Vidit, & extinctus dum parat arce sequi.

Gigantomachia.

Marte gigantæo timor ardua regna tonantis
Inuasit, superos & graue Martis onus.

Iuppiter in arietem.

Dum polus Enceladi crudelia membra timeret,
Iuppiter est factus corniger Encelado.

Apollo in ceruum.

Vidit Apollineum cerui sub imagine uultum
Aegyptus, quateret quum iuga sæua Gyges.

Bacchus in caprum.

Cuius debuerant manus fugare,
Est factus Bromius caper, gigantes.

Diana in fel. Iun. in uac. Ven. in pis.
Mer. in ibim.

Cynthia fit feles, Saturnia uacca, Dione
Piscis, Atlantiades ibis, ob Enceladum.

Typhœus.

Ceruicem Aetna premit, Lilybæum crura, Pelore
Dextra, Pachyne tibi est subdita læua manus.

Proserpinæ raptus.

Dis Phlegetontæo tellure tremente barathro
Exit, Persephonen prædo uagamq; rapit.

Cyane in stagnum.

Mens ut erat Cyane raptori obstare profundo,
Quum nequit, fons est facta gemens Cyane.

Puer in stellionem.

Fessa Ceres, fessam risit puer, ira secuta est.

Stellio

Stellio fit, quare? mixta polenta fuit.

Ascalaphus in bubonem.

Obstitit Ascalaphus redituræ ad sydera olympi
Persephone, hoc, Bubo fit quoq; Persephone.

Sirenes in aues.

Sirenes faciunt dei uolucres,
Vt Proserpina quæreretur undis.

Arethusa in fontem.

Vim nuda Alphei fugiens Arethusa procacis,
Fons est facta tuæ phœbe sororis ope.

Lyncus in feram.

Qui rex Lyncus eram fecit pia Lyncæ Ceres me,
Quòd uolui ferro perdere Triptolemum.

Pierides in picas.

Nomina Pieridum ultricibus addita Nymphis,
In picas quarum corpora uersa nouem.

DISTICHA IN FABVLAS VI. libri Ouidij Metamorphoseon.

Arachne.

QVanta Cythoriaco fuerit mihi pectine uirtus,
Dū licuit, minimū monstro ego facta animal.

Pallas in uetulam.

Consilium ne sperne deæ, tibi fastus Arachne est.
Non anus hæc, falsa est, Pallas & ipsa Dea est.

Hœmus & Rhodope in montes.

Hœmus rex fueram, Rhodope regina, sumus nunc
Odrysi montes: hoc dedit ira deūm.

Pygmæa in gruem.

Pulchra fui Pygmæa, gruem certamine fecit
Me Iuno, inde meis bella gero populis.

Antigone in ciconiam.

Candida quæ fueras, iam es facta ciconia, quondam
Antigone: hoc uictæ dat Iouis alma soror.

Cynaræ filiæ in lapides.

Rex saxum ô Cynara amplecti te Iuno uolentem.
Fecit, qui fuerant stirps tua chara gradus.

Iuppiter in taurum & aquilam.

Europa, Asterie per florida prata uagentur.
Taurus ero Europæ, sic aquila Asteriæ.

Iuppiter in cygnum & Satyrum.

Si pingat Ledam, & Nyctëida pictor Apelles
Cygnus ero uolucris, Iuppiter & Satyrus.

Iuppiter in Amphitryonem.

Alcmenæ manibus scope polita est
Heu Iuno Amphitryon erit maritus.

Iuppiter in aurum.

Quid iuuat Acrisium Danaën includere turrim,
Si cadet omnipotens aurea gutta pater?

Iuppiter in ignem.

Aeginæ hæc facies? coniunx Iouis excute marmor,
Iam iam erit in terris igneus ipse tonans.

Iuppiter in pastorem.

Mnemosynen pastoris amans sub imagine presit
Iuppiter, ô miseros quos face uexat amor.

Iuppiter in serpentem.

Si uarius natam presit Deoida serpens
Rex superûm, ô patres quid genuisse iuuat?

Neptunus

Neptunus in iuuencum.

Virginis Aeoliæ Neptunus amore, iuuenci
Sub forma intrauit rura, greges q; boum.

Neptunus in fluuium.

Aequoreæ regnator aquæ sum factus Enipeus.
Hoc potui, est nostrum flumina cuncta mare.

Neptunus in arietem.

Arietis in falsa Bisalpida imagine presit,
Per sortes rapidi cui data sceptra maris.

Neptunus in equum.

Sensit equum te flaua Ceres, cui fuscina telum est,
Et te sensit equum uirgo Meduſa ferox.

Neptunus in delphinum.

Me facies & amor fecit delphina Melanthûs
Parcite, quàm grandes dat Venus alma faces.

Apollo in pastorem.

Armentum Admeti quid pascis Apollo, deorum
Vnus ades, non sum, non oleo ambrosiam.

Apollo in accipitrem & leonem.

Quid non uincit amor? quid non Venus urget in artes?
Accipiter modo sis, quum modo Phœbe leo.

Apollo in pastorem.

Pastor eras quum tu Machareida pressëris, & tunc
Fictus eras, non nunc quum tibi cura boum.

Bacchus in uuam.

Captus amore pater fit uirginis uua Lyæus.
Erigones, genitæ quem dedit uua neci.

Saturnus in equum.

Quid geminum Chirona negas inimice poetis?
Si subiecit equo Phillyra falcifero.

Arachnes pœna.

Admonuit me Pallas, ego non Pallados iras
Pertimui, & pœnas, quas dedit ars, patior.

Niobe in marmor.

Contempsi Niobe Latonia numina, Phœbus
Et soror oppressit pignora, marmor ego.

Amphionis mors.

Vxor erat Niobe, sobolem pia Cynthia nostram
Oppressit, ferro uiscera nostra fluunt.

Lycij rustici in ranas.

Quum ranæ uetuistis aquas hausisse palustres
Latonam, quid adhuc carpere noctis opus?

Marsia in fluuium.

Marsia sum fluuius Phrygiæ, mihi pellis adempta est,
Quòd me Latous uicit Apollo lyra.

Pelopis humerus eburneus.

Saxea facta soror, Pelopi mihi eburneus ecce
Est humerus, genitor maxima causa fuit.

Philomena, Prog. Tereus, Itys in aues.

Facta ego quæ miseræ pellex Philomena sororis,
Ales sum, Progne, sicq; maritus, Itys.

Orithyæ raptus.

Dum pater extincto pandione regnat Erechtheus
Orithya fugis? non, rapit ast Boreas.

Zetes & Calais alati.

Alati Calais, Zetes, sumus Orithyæ
Progenies, uexit nos Pagasæa ratis.

DISTI-

DISTICHA IN FABVLAS VII. libri Ouidij Metamorphoseon.

Ad Medeam.

Quid Medea scelus moliris? Iasona tauri
Dilacerent, nolo, cur? fertur durus amor.

Iason in Colchos.

Quid te Athamantæi mouerunt uellera Phryxi
Aesonide? non me uellera, sed Pelias.

Tauri ignem efflantes.

Ecce iugo æripedes tauros Pagasæus Iason
Supposuit, iuuenis non fuit, herba fuit.

Draconis dentes.

Qui modo uiperei fueramus semina dentes,
Nunc armata sumus turba, phalanxq; uirûm.

Draco peruigil.

Quàm uigil ipse draco, dum uellera tuta solebant
Esse, laboranti uellere non potuit.

Aeson è uetulo iuuenis.

Canus eram, iugulor, nimiumq; potentibus herbis
Me fecit iuuenem, quæ modo facta nurus.

Ramus oliuæ reuirescit.

Qui modo Palladiæ fert munera ramus oliuæ
Siccus erat, uiridem Colchidos herba tulit.

Guttæ in flores.

Quæ guttæ fuerant prius cadentes,
Nunc flores, nurus Aesonis probabit.

Nutrices Bacchi iuuenescunt.

Fata regunt superos, non Colchida, Colchyde Nymphis
Si iuuenile datur corpus Iacche tuis.

Peliæ cædes.

Naturam lacerat Peliam manus impia, ut ultra
Viuat, & extinctus perdit utrunq; pater.

Aries in agnum.

Olim Aries fueram, fodit mea guttura Colchis,
Vixi in aqua, & uiuens persequor agnus oues.

Cerambus in auem.

Deucalionæo foret obrutus ipse Cerambus
Tempore? Nympharum ni celer ales ope.

Draco in saxum.

Est factus draco saxeus, uiator
Tutus perge, draco nihil minatur.

Iuuencus in ceruum.

Cornua quum ceruis longissima, cornua quare
Non sunt longa tibi cerue? iuuencus eram.

Mœra canis.

Mœra canis fueram, sum facta canicula signum.
Sum quod & Icarus est, sum quod & Erigone.

Coæ mulieres cornutæ.

Matribus imposuit Cois Saturnia fronti
Cornua, Proh miseros quos premit ira deûm.

Telchines omnia uisu mutantes.

Telchines, quorum mutauerat omnia uisus,
Subdidit æquoreæ Iuppiter altus aquæ.

Puella in columbam.

Non mirum placidam si dat natura columbam,
Cui pater Alcidamas, casta puella fuit.

Hyries filius in cygnum.

Cui renuit solitus dare Phyllius omnia taurum
Desilij scopulo, sum modo factus olor.

Hyrie in lacum.

Progeniem, quæ cygnus erat, cecidisse putabam,
Dum fleo, fio lacus nomen Hyrie.

Combe in auem.

Quum sit auis Combe, quid adhuc trepidantibus alis
Errat? adhuc prolis uulnere sæua timet.

Menephron.

Cyllene infamis merito num dicta, Menephron
In qua deperijt, qua prius ortus erat?

Puer in phocam.

Fles Cephise nepos thus est quod Apolline phocen
Versus in æquoream? cui nihil arma Iouis.

Eumeli filia in auem.

Desinite Eumeli lachrymas mirarier, ipse
Est pater, humanæ non pater, ast uolucris.

Fungi in homines.

Non genus humanum quod creuerit infima res est,
Quum sint è fungis edita membra uirûm.

Medea ad Aegeum.

Deseruit coniunx, nocuere uenena Creusæ,
Meq; Aegeus doctæ suscipit arce deæ.

Phineus, Periphas, & puella in aues.

Phinea Cecropiæ, & neptem Polyphemonis arces
Viderunt uolucres, teq; senex Peripha.

Aconita è Cerberi spuma.

Cerberus ut spumas uiso dispersit olympo
Cautibus in duris nata aconita sumus.

Meneæ fuga.

Effugio hinc, Aegeus dederat mea pocula nato,
Qui, ut uolui, noto non periit capulo.

Thesei gesta.

Taurus, aperq́, cinis, latro, semiuir, atq; procustes,
Scyron, Theseа monstra subacta manu.

Scyronis ossa in scopulos.

Scyronis scopuli sumus ossa latronis, ab alto
Quem misit Theseus in mare præcipitem.

Sithonis in monedulam.

Nomen ab effectu quæ seruo monedula, quondam
(Namq; auro est Arne prodita) uirgo fui.

Ad Aeacum.

Aeace, quum frustra petit auxiliaria Minos
Arma, dabis frustra hæc Cephalo.

Formicæ in homines.

Quid nunc Myrmidones rosisse sub arbore quercus
Grana negant? quum sint nomine Myrmidones.

Cephalus in aliam figuram.

Sta Procri hic, cuius Pallantias alma figuram
Mutauit, non est aduena, sed Cephalus.

Procris fuga.

Dum nouit Cephalum cuius modo munera mitem
Reddiderant, fugit per nemora alta dolens.

Canis & uulpes in saxa.

Dum sequitur uulpem Lælaps, dum uulnera uulpes
Formidat, fiunt numine saxa deûm.

Procris mors.

Munere me Cephali fodit manus insciа nostro,
Causa necis iaculum non fuit, aura fuit.

DISTICHA IN FABVLAS VIII. *lib. Ouid. Metamorphoseon.*

Turris muri uocalis.

SI fit Apollineæ uocalis regia conchæ
Contactu turris, num lyra saxa trahet?

Scylla Nisi in auem.

Regia quæ fueram Nisi pulcherrima proles,
Sum uolucris nomen Cyris adepta meum.

Nisus in haliætum.

Me mea purpureo priuauit Scylla capillo,
Est auis, hanc uolucrem non haliætus amo.

Minotauri mors.

Quem labyrinthea pauere ambage subacti
Cecropidæ Theseus perdit amantis ope.

Ariadne corona in sydus.

Thesea Cecropidæ sine te uidere superbum
Minoio, cuius fixa corona polo est.

Ad Dædalum.

Quum tibi sint pennæ cur non tibi forma uolucris
Dædale? sum uolucris more, uir ingenio.

Ad Dædalum de Icaro.

Dædale non periit puer Icarus, ipse superstes,
Nam dedit Icarijs nomine nomen aquis.

Talus in perdicem.

Præcipitem armigeræ quem Pallados arce dedisti
Talus, at est perdix Dædale, non periit.

Aper Calydonius.

Oeneu misit aprum Latoidos ira Dianæ
Quo sobolis clades dira futura tuæ est.

Altææ cædes.

Toxea, Plexippum fratres Meleager ad umbras
Misit, & hunc misi, quam manus ipsa necat.

Meleagri mors.

Tam cita cur fratrem clades Meleagron ademit
Si nescis Gorge (nuntio) flamma fuit.

Stipes in quo Meleagri uita.

Altæa Oeniden mater dedit ignibus ultrix,
Quod forti Oenidæ lignea uita fuit.

Meleagri sorores in aues.

Quæ nuper fuerant tuæ sorores,
Oenide, uolucres modo euolabunt.

Naides in syluas.

Cur nunc æquoreis quatiuntur Echinades undis,
Quæ fuerant quondam Naides ira fuit.

Perimele in insulam.

Quod uideor precibus Perimele lætor amantis
Insula, & ipsa mari lugeo quod quatior.

Oppidum in stagnum.

Hoc stagnum fuit oppidum palustre,
Quod non hospitio deos recepit.

Casa in templum.

Sum templum, quæ parua fui casa, dulce tonantis
Hospitium, aligeri sic & Atlantiadæ.

Baucis & Philemon in arbores.

Baucidos ut fuit & concorde Philemonis æuum,
Facti ita habent frondes robora contiguas.

Proteus in uarias formas.

Si modo taurus, aper, serpens, leo, flamma uideris,
Quàm merito Proteu diceris ambiguus.

Mæ-

Mæstra in uarias formas.

Preſsiſſet non longa fames Eriſichthona, Mæſtra
Si uir non fieret bos, equa, ceruus, auis.

Famis patria.

Ora famis Scythiæ patria eſt, ubi neſcia tellus
Arboris eſt, uel quæ neſcit aratra boum.

Famis deſcriptio.

Hyrta fames, famis eſt cutis aſpera, & ora, fames q
Pallida, & inculto pallida labra ſitu.

Ad Eriſichthona.

Quum ſacrata tuam eſt Eriſichthon paſſa ſecurim
Quercus, membra miſer dic mihi cur laceras?

DISTICHA IN FABVLAS IX. libri Ouidij Metamorphoſeon.

Achelous loquitur.

O Eneu te ſocerum petimus duo, utriq; uoluptas
Eſt eadem, ambobus Deianira placet.

Ad Acheloum.

Clauigerum Alciden toties Acheloe laceſsis?
Nam quo te uincet tempore nudus erit.

Achelous in taurum.

Nudus eram, Alcides nudus fuit, Hercule uincor.
Et quum dirupit cornua, taurus eram.

Achelous in anguem.

Pectore ab Herculeo dum pectora noſtra premuntur,
Fio anguis, tamen hoc non ualet, immò nocet.

Cornu copiæ.

Non dolui immenſo quod uictus ab Hercule taurus,
Quum bona ſit cornu copia tanta meo.

Neſſus.

Deianira necis cauſa es, dabis inſcia pœnas,
Quum dabitur ueſtis ſanguine tincta uiro.

Ad Deianiram.

Herculis hæc tunica eſt, non irritamen amoris,
Mors, mors ſub tunica Deianira latet.

Herculis labores.

Thracis equi, ſtabulum, paſtor, leo, poma, uolucres,
Cerua, aper, & taurus, baltheus, hydra, canis.

Lychas in ſcopulum.

Coniugis Alcidæ tunicam tulit, ira peremit
Herculis, atq; lychas nomine fit ſcopulus.

Scopulus Lychæ timendus.

Adſunt ſaxa Lychæ, procul hinc fuge nauta, periclum eſt
Si dominum necuit, te ruet atq; ratem.

Hercules in pyra.

Noſtra ut Lernæo flagrárunt membra ueneno,
Fit pyra, conſcendo, ſubdita flamma fuit.

Hercules in deum.

Me Lernæus edax cruor, & me flamma cremauit,
Sum deus, atq; tibi ſæua nouerca gener.

Ilithyia in uetulam.

Quam credis uetulam Galanthis eſſe
Non eſt, ſed dea partuum eſt, nocebit.

Galanthis in muſtellam.

Riſi ego Lucinam, quæ ſum muſtella, frequento
Ipſa domos, & cur? uirgo Galanthis eram.

Dryope in arborem.

Te

Te nimium Dryope crudelia fata manebant,
Dum nisi decerptis floribus arborea es.

Lotos in arborem.

Olim Nympha fui, quæ dicor aquatica lotos,
Quam heus hortorum terruit inguinibus.

Iolaus senex in iuuenem.

Quàm merito Alcidæ Iunonia nupserit Hebe,
Scit satus Iphiclo, est de sene qui iuuenis.

Callirhoes pueri in iuuenes.

Quid iurare paras Hebe? tibi fata resistunt.
Nam iuuenes fient Callirhoes pueri.

Deos fatis obnoxios.

Fata timent superi, superûm non plena potestas
Rumpere, si quid erit, quod tria fata uelint.

Biblis in fontem.

Sum fons Caune tibi cuius data epistola Biblis,
Nomine Biblis eram, nomine Biblis ero.

Iphis in marem.

Fœmina qui fueram potior tener Iphis Ianthe,
Est mirum, Inachidos gratia causa fuit.

Isidis comites.

Inachidos comites sunt Apis, Osiris, Anubis,
Oraq; qui digito comprimit Harpocrates.

DISTICHA IN FABVLAS X. libri Ouidij Metamorphoseon.

Eurydice.

Vipera me extinxit, petij stygа, pectine traxit
Me coniunx, iterum lex quoq; rupta trahit.

Orpheus.

Orphea uicit amor, Thracis lyra uicit opacam
Eurydice uicta coniuge Perſephonen.

Tantalus.

Nulla fames, & nulla ſitis mihi, iura profundi
Dum ſonus Orphææ rumperet ima lyræ.

Ixion.

Quum lyra deformem Rhodopeia flecteret orcum,
Ixion ſtabili manſit in orbe rotæ.

Tityus.

Non Tityi carpſere iecur fera noſtra uolucrum,
Orpheus dum peteret cantibus Eurydicen.

Belides.

Quare depoſitis mirantur Belides urnis?
Carmina Threicij uatis amœna trahunt.

Ad Siſyphum.

Siſyphe depoſito quare trahis ocia ſaxo?
Vatis Threicij ſentio dulce melos.

Paſtor in lapidem.

Si uiſo cane uir lapis trifauci eſt,
Quid ſi traxero Cerberum cathenis?

Olenus & Lethæa in lapides.

Peccarat coniunx uoluit peccaſſe uideri
Olenus, & tandem factus uterq; lapis.

Atys in pinum.

Præcepti Idæus Cybeles fuit immemor Atys,
Cuius non pinus immemor arbor erit.

Cypariſſus in cupreſſum.

Luctibus & lachrymis ita conſecrata cupreſſus
Fleuiſti, ut ceruum quum cypariſſus eras.

Iupa

Iuppiter in aquilam.

Iliadæ Ganymedis amor, cui dextra trisulco
Armata est, aquilam fulmine fecit auem.

Hyacinthus in florem.

Cuius Phœbus amans, Hiacynthi discus ad umbras
Misit, & hunc florem fecit Apollo gemens.

Hiacynthia.

Annua quum redeant Hiacynthia Apollo gemiscis?
An fueras uiuo lætior hoc iuuene?

Ceraſtæ in iuuencos.

Sunt cæsi quibus aduenæ, ceraſtas
Mutauit Venus in graues iuuencos.

Propœtides in ſaxa.

Sunt lapis obſcœnæ Propœtides, alma Dione
Hoc dedit, ut tantum ſe probet eſſe deam.

Eburnea ſtatua.

Nomina quæ Cypros ſeruat dedit inclyta proles,
Quam genuit ſculptum Pygmalionis opus.

Myrrha in arborem.

Quam compreſsit amor Cyniran ardere parentem
Eſt arbor, myrrham myrrha nephanda gerens.

Hippomenes & Atalanta in leones.

Pernicem Hippomenes Veneris Scœneida uicit
Munere, & ob Venerem uir leo, & ipſa lea eſt.

Damaſcenus ager.

Sum Damaſcenus ager Veneri ſacratus, amanti
Non nocuit, ſed tamen ira Deæ.

Adonis in florem.

Quem Dea, puniceus flos eſt, Venus arſit Adonis,
Cui fuit ipſa ſoror mater, auusq; pater.

Minthe in herbam.

Perſephone fuerat pellex tua perfida Minthe,
Cui ſunt pro pœnis munera, quum redolet.

DISTICHA IN FABVLAS XI. libri Ouidij Metamorphoſeon.

Orphei cædes.

DVm caneret lacerant Aedonides Orphea, cuius
Mortis non iuuenes cauſa, ſed Euridice.

Anguis in ſaxum.

Anguem Treicij caput per undas
Phœbus lambere congelat uolentem.

Thracie in arbores.

Corpora mutauit Bacchantum in robora Iacchus,
Quem mouit uatis gratia non pietas.

Tacta à Mida in aurum.

Si quicquid tetigit Midas fit aurum,
Diues quàm merito Midas uocatur.

Harena Pactoli aurea.

Quæ modo Pactoli micat aurea harena, nephandum
Fulua Midæ facinus non fuit ante Phrygis.

Midæ aures aſini.

Quod uiſa eſt iniuſta Mideæ ſententia, fecit
Vt pecus Arcadicum Delius aure foret.

Cannæ uocales.

Si ſit purpurea uocalis harundo tyara,
Obuelare Midam tempora num licuit?

Apollo, Neptunus, in homines.

Pergama mortali ſub imagine Conſus, Apollo,
Si condunt, quantum ſpes manifeſta deûm eſt.

Heſiones

Hesiones liberatio.

Liberat Hesionen proles Tirynthia monstro
Obiectam, hoc fecit muneris ipsa fames.

Thetis in uarias figuras.

Fit modo quæ uolucris, quæ Tigris, & arbor, aquosam
Aeacides Thetidem uincere num poterit?

Thetis uicta.

Non uicit Thetidem parens Achillis,
Sed uatis monitus fuere ponti.

Chione Dædalionis filia.

Presit Atlantiades, me presit Apollo, Dianam
Culpaui, passa est spicula lingua deæ.

Dædalion in accipitrem.

Ob Chionen Parnase tuo me uertice misi,
Non pereo, accipiter fio ego & ob Chionen.

Lupus in saxum.

Qui lupus Aecidæ armentum lacerare solebat,
Nunc commutato est corpore marmoreus.

Ceyx & Alcyone in aues.

Ceyx rex fueram, maris obruit unda, gemebat
Alcyone, alati nunc sumus alcyones.

Phobetor, & Phantasos somnij filij.

Fit draco, fit uolucris, tigris, lea torua, Phobetor,
Phantasos & tellus fit, lapis, arbor, aqua.

Morpheus somni filius.

Humani generis simulator somne propago
Sum tua, & humanas dignus adire domos.

Morpheus in Ceycen.

Fluctibus æquoreis sub imagine misit adempti
Morphëa Ceycis somnus ad Alcyonen.

Aesalus in mergum.

Præcipitem è scopulo sese dedit Aesalus alto,
Et quia non perijt mergere semper auet.

DISTICHA IN FABVLAS XII. libri Ouidij Metamorphoseon.

Serpens in saxum.

AVlidos ad platanum lapis est draco, mœnia per quem
Vidit Thestorides Troica posse capi.

Iphigenia.

Pro cerua ante aras stetit Iphigenia Dianæ,
Cerua non potuitq; Iphigenia mori.

Phamæ domus.

Arce manent Phamæ rumor, tormenta, susurri,
Error, credulitas, nulla quies q;, timor.

Protesilai mors.

Primus quum Hectorea facto cadis ictu sub hasta
Quam meritò hoc nomen Protesilae geris.

Cygnus in auem.

Cygnus Achilleæ ferro insuperabilis hastæ,
Factus olor, molea saxea dum superat.

Cænis in uirum.

Est modo uir Cæneus nullo penetrabilis ictu,
Qui quondam patiens fœmina Cænis erat.

Hippodames nuptiæ.

Connubio Hippodames non felix adfuit omen,
Quum dederint multos uina, furorq; neci.

Lapithæ, Centauri.

Armauit Lapithas pia gratia, uina bimembres,
Et tandem presit gratia uina nece.

Cæneus

Cæneus in aquilam.

Vulneris immunem, modo qui fert tela tonanti,
Presserunt trunci Cænea nubigenæ.

Periclymenus in uarias formas.

Aëre cur moritur, cui quæq; obnoxia forma,
Est aquila, Alcides causa, Periclymenus.

Achillis mors.

Smynthea in Aeacidæ cit fata Tridentifer, ipse
Cit Paridem, atq; Paris uulnerat Aeacidem.

DISTICHA IN FABVLAS XIII. libri Ouidij Metamorphoseon.

Contentio Aiacis & Vlyssis.

Aeacidæ arma licet poscant duo, solus utrunq;
Vexet amor, capient non tamen arma duo.

Aiax in hyacinthum.

Victor ut arma tulit, nostro necor ense hyacinthus,
Quum sit sanguis habens nomina, non perij.

Polyxenæ immolatio.

Victima Achillæo quod facta polyxena busto,
Quid mirer? fuit huic maxima causa necis.

Polymestoris excæcatio, Polydori cædes.

Priuauit miserum Polymestora luce Dimantis
Aurea, ut occidit te Polydore fames.

Hecuba in canem.

Rex nocuit, nocui Polymestori, & ipsa per agros
Latraui ausugiens Thracia saxa canis.

Memnonides aues.

Memnonides ineunt pugnas ad busta quotannis
Memnonia, atq; cadunt manibus inferiæ.

Tacta ab Anij filiabus.

Quicquid contigerant Anij puellæ
Vinum, bacca, Ceres erat repente.

Anij filiæ in Columbas.

Tantalides Anij natis dum uincla pararet,
Ecce Dioneas fecit Iacchus aues.

Duo iuuenes è rogi fauilla.

Flamma tuam sobolem dum iusta cremaret Echion,
Versa est in iuuenes atra fauilla duos.

Iudex in saxum.

Saxea in Ambraciam dum iudicis ora manebunt,
Semper erit populis lis manifesta deûm.

Filij Molossi in aues.

Quid quod pennata est regi præclara Molossi
Progenies? flammas pertimuit rapidas.

Acis in fluuium.

Saxea Cyclopis quem moles obruit Acis,
Pristina adhuc factus nomina flumen habet.

Ad Galatheam.

Te Polyphemus amat, tuus est amor Acis, uterq;
Ardet, utrunq; tamen non Galathea capis.

Glaucus in deum marinum.

Retibus officium fuerat cui ducere pisces,
Nunc deus est Glaucus, quem dedit herba mari.

DISTICHA IN FABVLAS XIIII. libri Ouidij Metamorphoseon.

Scyllæ inguina in canes.

Quod Circæa meo connubia Glaucus amore
Spreuit, ob hoc fiunt inguina nostra canes.

Scylla

Scylla in scopulum.

Quæ Laërtiadem spoliauit Scylla carinis,
Nunc scopulus facta est, effuge nauta, uorat.

Cercopes in simias.

Cercopum omnipotens dum corda perosus, & artes,
Mutauit hos in simias.

Aeneas ad inferos.

Tartara, Persephonen, atauos, umbramq; parentis
Vidit magnanimus Tros, duce Deiphobæ.

Sibyllaba in uocem.

Quod munus petij Sibylla Phœbum,
Reddet me in nihilum, manente uoce.

Achimenides.

Deseruit Siculo quem littore uictor Vlysses,
Suscipit Aeneæ puppis Achimenidem.

Venti in utre Vlyssi dati.

Ventorum classes sparsit furor, utre soluto,
Quos omnes Ithaco clauserat Hippotades.

Socij Vlissis in porcos.

Impia mutârunt comites data pocula Circes,
In porcos Ithaci setigerumq; pecus.

Socij Vlyssis in pristinam formam.

Quos pecus in brutum mutauerat impia succis
Circe, iterum uiso fecit Vlisse uiros.

Picus in auem.

Rex Picus Latij fugit connubia Circes,
Qui nunc mutato est corpore Picus auis.

Socij Pici in feras.

Circeæ comites Pici miracula uirgæ
Senserunt facti monstra, graues q; feræ.

Canens Pici uxor in loci nomen.

Nympha Canens Pici fueram pulcherrima coniunx,
Quæ liquefacta modo sum locus ipsa Canens.

Diomedis socij in aues.

Nos Diomedæas fecit Cytherea uolucres,
Qui fuimus quondam sub Diomede uiri.

Pastor in oleastrum.

Apulus ut mouit conuitia pastor, amaros,
In Nymphas, fructus sic oleaster habet.

Aeneæ naues in Nymphas.

Quæ Nymphæ modo pernatamus undas,
Aeneæ fuimus pij carinæ.

Nauis in scopulum.

Alcinoi in scopulum uertit, cui fuscina, puppim
Quæ sua Dulichium uexit in arua ducem.

Ardea in auem.

Dum Troum manus ardeam cremaret,
Præpesq; ardea cognita est uolucris.

Aeneas in deum.

Abstulit Aeneæ quicquid mortale Numicus,
Quem Romana deûm gens uocat Indigetem.

Pomona dea.

Silenum, Panes, Satyros, Pomona Priapum
Noluit, hanc tandem cana fefellit anus.

Vertumnus in anum.

Vertumnus uarias potuit qui sumere formas,
Pomonam presit, quum simularet anum.

Anaxarete in saxum.

Iphis amans laqueo rupit sua guttura, cuius
Duritiæ facta est marmor Anaxarete.

Aquæ

Aquæ frigidæ in calidas.

Si fit in auxilium Rhomani calda triumphi
Frigida aqua, hoc maius spectat ad imperium.

Romulus in deum.

Romule Mars genuit, te Romule ad æthera Mauors
Extulit, & dictus templa, Quirinus habes.

Hersilia in deam.

Colle Quirinali dum crinis abisset in auras,
Nunc ora quæ excepit Romulus Hersiliam.

DISTICHA IN FABVLAS XV. libri Ouidij Metamorphoseon.

Crotonis conditor.

COndidit Herculeo iussu tecta alta Crotonis,
Hospitis ut staret nomen, Alemonides.

Lapilli nigri in candidos.

Mycile cum nigris damnauerit urna lapillis,
Cur uiuis? fecit Clauiger hos niueos.

Pythagoras.

Me Numa rex adijt, docui penes Aesaris undas,
Exul eram, exilij causa Tytamis erat.

Pythagoræ dogma.

Non cæsa humanas maculent animalia mensas,
Nam scelus est pasci uiscera uiscеribus.

Animæ immortalitas.

Effera non animas mors occupat, exitus hic est
Quod de uno in uarium corpore corpus eunt.

Euphorbus in Pythagoram.

Non mirum est animas transire in corpora nostras,
Quum fuerim Euphorbus quondã ego Pythagoras.

Tempora in continuo esse motu.

Motibus assiduis uelut unda repellitur unda,
Sic noua truduntur tempora temporibus.

Quatuor ætates cum quatuor anni partibus.

Vere puer lactans, iuuenisq; potentior æstu
Est uir in autumno, fitq; senex hyeme.

Sperma in hominem.

Quod sumus, aut fuimus, non crastina tempora reddent,
Quo tantum & fuimus semina, tempus erat.

Nasci, mori.

Nasci est, insolitum quum quod fuit incipit esse,
Estq; mori, tunc quum desmit esse quod est.

Terra in mare, Mare in terram.

Olim ubi ut immensum fuerat mare, libera tellus
Est modo: sic unda est nunc, ubi terra fuit.

Lycus fluuius.

Vnda Lyci quanquam est absumpta uoragine terræ
Emergit hæc deinceps tamen.

Erasinus fluuius.

Cui caput Arcadica est, Erasinum, adaperta palude,
Terra iterum campis reddit in Argolicis.

Caycus fluuius.

Cuius pœnitui Caycus ipse,
Primum ut dicitur alueum reliquit.

Amasenus fluuius.

Corniger Aetneis aliquando Amasenus in agris
Aestibus oppressa gurgitis aret aqua.

Anio

Anigrus fluuius.

Quæ dulces fuerant, nunc reddit Anigrus amaras
Vndas, cur? tetigit uulnera nubigenûm.

Hypanis fluuius.

Cuius multi Hypani prius bibêre
Vndas, nunc uitiant sales amari.

Insulæ in continentem.

Antissam, atq; Tyron quondam æquoris unda, Pharonq;
Ambierat, nunc est insula nulla maris.

Ex continenti insulæ.

Tempora continuas Zenclen uidêre priorum
Leucada, quas ambit nunc mare cæruleum.

Helice burra.

Mœnia sunt Helices, sunt obruta mœnia burræ
Quæ prius in solido structa fuere solo.

Ex planicie montes.

Cur propè qui fuerat campus, Trœzena uidetur
Collis? uentorum uis fera causa fuit.

Mira aquarum natura.

Tempore cornigeri gelida est Iouis unda diurno
Fontis, cui calda est tempore noctis aqua.

Fons Athamantis.

Vis cui fontis aqua est accendere ligna trabesq;
Orbes diminuat quum uaga luna suos.

Fluuius Ciconum.

Fluminis ut Ciconum pota est grauis unda, repente
Saxea redduntur uiscera, labra, manus.

Crathis & Sybaris.

Crathidis unda auro reddit, Sybarisq; capillos
Persimiles, lachrymis uel Phaëtontiadum.

Salmacis fons.

Reddit ut Aethiopum furibundos Lympha paludum,
Mollis ita eneruat Salmacis unda uiros.

Clitorius fluuius.

Si quis Clitorij bibit liquores,
Hic munus fugiet tuum Lyæe.

Lynceſtius fluuius.

Non ſecus ebrietas Lynceſti redditur unda,
Quàm poto ſenſus ſollicitante mero.

Lacus Arcadiæ.

Arcadici natura lacus non infima, cuius
Vnda die eſt inſons, tempore noctis obeſt.

Ortygia inſula.

Ortygiæ æquoreis erratica nabat in undis,
Nunc immota ſedens inſula non fluitat.

Symplegades.

Nunc ſtabiles remanent Symplegades, æquore quondam
Inſtabiles, tuto iam mare nauta ſedet.

Aethna mons.

Quæ nunc ignea flagrat Aethna, campis
Non ſemper fuit ignea in Sicanis.

Homines in aues.

Ingreſsi nouies ſumus uolucres
Quum Tritoniacam uiri paludem.

Apes ex uitulo, ex equo crabrones.

Noſtra ut apum uitulo creſcunt examina cæſo,
Te generat cæſi crabro ita corpus equi.

Scorpius ex cancro.

Obrutus exemptis cancer tellure lacertis,
Scorpius exiguo tempore factus erit.

Tineæ

Tineæ in papiliones.

Si fit papilio qui nuper in arbore fila
Texebat bombyx candida, quid grauius?

Limus in ranas.

Quæritis in limum saltu cur rana citato
Se det præcipitem? Limus alit, generat.

Caro in ursam.

Parturit ursa ferox catulum sine imagine, tandem
Edita lambendo fit fera sæua caro.

Apes sine pedibus.

Quum nascuntur apes merito labentibus annis
Nomen idem quare? nomen origo dedit.

Aues ex oui medio.

Ex oui medio columba, picæ
Nascuntur, genus omne sic uolucrum.

Anguis ex hominis spina.

Humana generatur an medulla
Anguis? quum in nihilum redacta spina est.

Phœnix ex seipso.

Vnus odorifero Phœnix qui uiuit amomo,
Se reparat, cinis hunc gignit, ut igne perit.

Hyæna modo mas, modo fœmina.

Quæ modo hyæna marē patitur, modo mascula hyæna est.
Fœmina, dum patitur: mascula, dum sequitur.

Mira Chamæleontis natura.

A dumo contacta tenent quoscunq; colores,
Atq; ego tantum auris nutrior aerijs.

Lyncurium ex lyncum urina.

Lyncum fit preciosa gemma uiso
Vrina aere, nomen inde sumit.

Coralium ex molli durum.

Quod nunc coralium tacto fit ab aëre durum,
Huic sub aquis fuerat maxima mollities.

Omnium rerum uicissitudo.

Omnia uertuntur, rapit effera mortis imago
Omnia, non certo tramite cuncta fluunt.

Troia.

Hectora, Deiphobum, Priamum quoq; Troia Parimq;
Vidit, ubi Troia est dic mihi? Troia iacet.

Sparte.

Mœnia ubi Spartes? Spartes ruit omnia tempus.
Mors autem colles, mœnia, saxa domat.

Mycenæ.

Imperia, atq; urbes, terras rexere Mycenæ.
Phama Mycenarum nunc ubi? phama perit.

Athenæ, Thebæ.

Nomen Athenarum solum est, sunt nomina Thebis.
Quis olim erexit Græcia tota caput.

Roma.

Tempora mox aderunt, quibus altæ mœnia Romæ
Parthus, Thrax metuet, Sarmata, Gallus, Arabs.

Aegeria in fontem.

Extincti dum ob facta Numæ miseranda doleret,
Versa sui in fontem nominis Aegeria est.

Hippolytus in Virbium.

Impete patris, aui obsequio perij, arte nouercæ,
Quiq; iterum uixi, Virbius ecce uocor.

Gleba in puerum.

Qui olim gleba fuit, puer subinde
Est uisusq;, tagen uocant Hetrusci.

Hasta

Hasta in arborem.

Cui modo sunt frondes arbor, tua Romule quondam
Hasta fuit, mirum non fuit, arbor erat.

Cippi cornua.

Arcis Romuleæ fatalia cornua Cippo
Regna dabant: Cippus noluit, ast abijt.

Aesculapius in anguem.

Anguis Apollineam uexit sub imagine prolem
Nostra ratis, facti lurida causa lues.

Iulius Cæsar in cometen.

Cæsaris Aeneadæ Iulij uidere cometen,
Ad superos cæsum quem tulit alma Venus.

Augusti Cæsaris laudes.

Fulmina, dij, cœlum, nutu Iouis astra mouentur,
Cæsaris Augusti numine terra, mare.

Operis commendatio.

Non Iouis ira, imbres, Mars, ferrum, flamma, senectus,
Hoc opus unda, lues, turbo, uenena ruent.

FINIS.

AESOPI VITA BRE-

VISSIME EX MAXIMO Planudæ.

ESOPVS genus traxit ex Ammorio oppido Phrygiæ, cognomento Magnæ, sed fortuna fuit seruus, uerũ seruitus non potuit animum eius liberum corrumpere. Fuit autem non solum seruus, sed & deformissimus omnium suę ætatis hominum. Nam acuto capite fuit, pressis naribus, depresso collo, prominẽtibus labris, niger, unde & nomen adeptus: uentrosus, ualgus & incuruus: & quod erat omnium pessimum, tardiloquentia, cum obscura simul & inarticulata uoce, quæ omnia seruitutem ei parasse uideri possunt. Sed cum tali esset tamq; deformi corpore, animo tamen fuit natura solertissimo, felicissimoq; ad omne commentum. Homo igitur tam deformis ad fodiẽdum agrũ ab hero suo emittitur: quo di gressus, alacriter operi incumbebat. Cumq; eius domino ficus agricola quidã dono dedisset, eas dominus seruo cuidam Agathopodi domum ferendas cõmsit. Qui Agathopus consilium iniit cum seruo, ut ipsi ficus illas deuorarent, causaren turq; postea Aesopũ eas furto ablatas comedisse. Hero domum redeũte, accusatur Aesopus, parantur flagra, procumbit ad heri pedes miser, dilationem petit, qua impetrata, aquam calidam affert,

cuius

cuius partem ebibit, reliquam propinat conseruis. Aesopus præter aquam nihil euomit: serui unà cum humore & ficus in terram eiciunt. Nudi nebulones flagro miserè conciduntur, laudadato mirifice ingenio Aesopi. Cum sacerdotes Dianæ conuenissent, Aesopumq; rogassent uiam ut illis monstraret, quæ in urbẽ ducebat, is prius frugali cœna refocillatos, in uiam dux ipse ducit. Ob quam hospitalitatem sacerdotes precibus orant Dianam, ut ipsa gratiam referat homini tam bene de ipsis merito. Quo facto, reuersus Aesopus, in somnum lapsus est, uisumq; fortunã astare sibi, soluentem eius linguam, atq; fabularum largientem doctrinam. Qua re mirifice lætatus Aesopus, expergiscitur, beneficium hoc in hospitalitatis obseruationẽ reijcit. Non enim amplius loquendo tardus erat, sed lingua soluta, expedite loquebatur. Quod cum Zenas quidam agri præfectus intellexisset, timens ne quando iniquitatis apud dominum ab Aesopo accusaretur, hominem præuenit, atq; grauissima accusatione in odium domini induxit, adeo ut eidem præfecto ab hero Aesopus traderetur. Cumq; iam in potestate Zenæ foret Aesopus, conuenit Zenam mercator quispiam, rogans num iumentum aliquod uelit diuendere. Respondit Zenas iumentorum se potestatem non habere, uerum Aesopum monstrat, an hunc uelit, adesse quidem. Quem cum uidisset mercator, Vnde hæc tibi olla, inquit, an ne trucus est, uel homo? Ni uocem emitteret, utrem

inflatum arbitrarer, atq; indignatus abijt. Aesopus ipsum sequens, mane, inquit. Ille uero conuersus, abi inquit sordidissime canis. At Aesopus ait, eme me mercator, non inutile tibi sum futurus mancipium. Nam si tibi domi sunt mali pueri & sine ocio flẽtes, his me præfice pædagogum, omnino eis ero pro larua. Ridens igitur mercator, ad Zenam dicit: Quanti uas hoc malum uendis? Ille tribus ait obolis. Mercator tres obolos exponens, nihil emi, inquit, nihil exposui. Mercator ille cum Ephesi reliqua uendidisset mãcipia, tria remanserunt illi, grammaticus, cantor & Aesopus. Quos cum ille nequiret diuendere, Samum petijt, atq; ibi expositis his tribus, grammatico & cantore egregiè ornatis, Aesopo uero in medio sordidissimo stante, uenit Philosophus Xanthus, atq; hos tres probe contuens, mercatoris commentum miratus est, cur nam inter duos bellissimos iuuenes tam sordidum statuisset homuncionem. Xanthus igitur percontatur cantorem cuias sit, respondit, Cappadox sum. Quid sciret, respondit omnia: quo dicto, risit Aesopus. Quæsiuit & à grammatico Xanthus cuias esset, dixit se Lydum esse. Quid facere sciret rogante Xantho: omnia, inquit grãmaticus: atq; iterum risit. Descendente Xantho, rogãt discipuli ut Aesopum emat: nam reliquos duos nimis magno precio çstimarat mercator. Veniens ad Aesopum Xanthus, rogat unde sit, nigrum se esse respõdit. Ille uero, nõ hoc uolebam ait, sed unde natus sis.

Ait

Ait Aesopus: Ex uentre matris meæ. Non hoc dico, Xanthus inquit, sed in quo loco natus sis. Aesopus ait matrē nō renunciasse sibi, an in sublimi uel humili loco eū genuerit. Xanthus quid facere sciat percontatur, & ille, Nihil. Quomodo, dicit Xanthus: Quoniam hi duo se omnia professi sunt nosse, mihi uero nihil reliquerunt. Laudatus est multis modis Aesopus ab scholasticis ob hoc respōsum, quoniam nullus sit uspiam inter mortales, cui cognita exploratáq; sint omnia. Xanthus empturus Aesopū, dixit: Si emero te, an nes fugiturus? Cui Aesopus respondit: Hoc si facere uoluero, haudquaquam te utar consultore. Quæ cum maxime placuissent Xantho, subiūxit: Sed deformis es. Atqui, ille respondit, ô philosophe, nō faciem, sed mentem oportet inspicere. Xanthus soluto ab scholasticis precio, Aesopum accepit. Inter deambulādum igitur cum sol esset ardentissimus, Xanthus meiebat, nihilominus iter peragens. Id animaduertens Aesopus, dixit se confestim fugiturum. Xantho cur nam id facere uellet exquirente, Quoniam, inquit, si tu cum herus sis, naturæ non potes morem gerere, quid seruo mihi faciendum? Nam si ad ministerium aliquod mitterer, num inter uolandum cacare deberem? Posthæc accidit Xanthum die quadam amicos ad conuiuium inuitasse. Quibus rem gratam facturus, Aesopo mādat ut lentem coquat. Commode parata & cocta, Xanthus eam iubet afferri, Aesopus iussa exequitur. Xantus lēte accepta,

probaturus an ne cocta foret satis, digitis eã attri uit, multas adhuc superesse putans, quas iubens Aesopum afferre, præter aquam is nihil adporta uit. Xantho grauiter indignante cur non lentes appon[illegible]ensæ, respõdit se ueluti iussisset, non lentes, [illegible]entem coxisse. Referuntur sententiæ aliquot Aesopi elegãtissimæ, hæ uidelicet: Deum ante omnia cole. Regẽ honora. Bene agentibus ne inuide. Linguæ continens esto. Mulieri nunquam credas secreta. Ne pudeat te semper discere meliora. Fac quæ te nõ mœstificent. Bonum esse non te pœniteat. Aesopus cum apud Samios ageret, libertate donatus est missusq; Crœso regi, bellum cum Samijs agenti, id sua cum prudentia, tum urbanitate effecit, ut Samijs placatus rex reconciliaretur. Samij multis honoribus redeuntem Aesopum exceperunt. Qui discedens ex insula, orbem peragrauit, cui maximam familiaritatem fuisse memorant cum Lycaro rege, à quo statua aurea Aesopo iussa erigi. Deinde peragrata Græcia, Delphos peruenit. A quibus nullo affectus honore est, sed ab ipsis post salutaria præcepta rupe præceps deuolutus, mortuus est. Cuius mors graui pestilentia ulta, iniuste occisi Aesopi indicium Delphis exhibuit.

EX APHTHONII SOPHIstæ exercitamentis.

FAbula profecta quidẽ est à poetis, sed & rhetoribus communis facta est admonendi gratia.

tia. Est autem fabula sermo fictus, imagine quadam repræsentans ueritatem. Atq; alia Sybaritica, alia Cilix, alia Cypria dicitur, accepto ab inuentoribus nomine. Verum quoniam Aesopus egregie præter cæteros conscripsit fa , euicit ut potius Aesopia diceretur. Ea uero , iplex, Rationalis, Moralis, Mista. Rationalis, in qua aliquid ab homine geri confingitur. Moralis, quæ eorum imitatur mores, quæ sunt rationis expertia. Mista uerò, quæ rationale irrationaleq; complectitur. Eam autem admonitionem, cuius causa fabulam constitueris, Antefabulationem præpositam, postpositam uero, Affabulationē dices.

FABVLA QVA FORMICARVM & Cicadarum exemplo hortantur Iuuenes ad laborem.

CIcadę olim æstate assiduis cantibus indulgebant, formicæ uerò hyemis memores, laboribus fructibusq; colligendis operam dabant. Verum cum hyems adueniſſet, formicæ ijs, quæ collegerant, pascebantur. Cicadas autem delectatio illa, & canendi uoluptas, eò indigentiæ miseriæq; perduxit, ut esurirent omnes, & fame confi cerentur. Sic iuuentus laborum fugitans, male habet in senectute.

Ex Philostrati Imaginibus.

De fabula.

FAbulæ se ad Aesopum, sua in eum beneuolentia conferūt, quòd satagat sui. Fabula quippe

& Homero, & Hesiodo, necnon & Archilocho in Licamben curæ fuit. Sed ab Aesopo humana omnia ad fabellas redacta sunt, sermone brutis non temere impertito: nam cupiditatem tollit, & libidinem insectatur, & fraudem. Atq; hæc ei leo quispiam agit, & uulpes, & per Iouem equus, nec testudo muta. Ex quibus pueri discunt, quę in uita gerantur. Habentur igitur in pretio fabulę propter Aesopum. Accedūt ad ianuam docti huius, uittis eum deuincturæ, coronaq; oleagina coronaturæ: hic, ut puto, fabulam aliquam texit: risus enim faciei, & oculi in terram defixi, id præ se ferunt. Pictorem fabularum curas remissiore animo indigere, non latuit. Philosophatur autem & fabularum corpora. Bruta enim cum hominibus conferens, cœtum circa Aesopum statuit ex illius scena conflictum. Chori dux uulpes depicta est. Vtitur enim ea Aesopus ministra argumentorum plurium, ceu Dauo comœdia.

Ex Hermogenis exercitamentis, Prisciano interprete.

FAbula est oratio ficta, ueriſimili dispositione, imaginem exhibens ueritatis. Ideo autem hanc primam tradere pueris solēt oratores, quia animos eorum adhuc molles ad meliores facile uias rite instituunt. Vsi sunt ea tamen uetustissimi quoq; authores, ut Hesiodus, Archilochus, Horatius, Hesiodus quidem luscinię, Archilochus autem

autem uulpis, Horatius muris. Nominantur autem ab inuentoribus fabularum, aliæ Aesopiæ, aliæ Cypriæ, aliæ Libycæ, aliæ Sybariticæ: omnes autem communiter Aesopiæ dicuntur, quoniam in conuentibus frequenter solebat Aesopus fabulis uti. Mendacem quidem esse nolunt fabulam, sed ad uitam utilem, necnon & uerisimilem. Est autem uerisimilis, si res, quæ subiectis accidunt personis, apte reddantur: utputa de pulchritudine aliquis certat, pauo supponatur hic. Oportet alicui astutiam tribuere, uulpecula est subijcienda. Imitatores aliquos hominum uolumus ostendere, hic simijs est locus. Oportet igitur modo breuiter, modo latius eas differere. Quomodo autem hoc fiet? Si nunc narratione simplici proferantur, nunc etiam sermo inductis fingatur personis. Exempli causa, Simiæ conuenerunt & consilium habuerunt de urbe condenda: & quia placuit illis, paratæ erant incipere ædificationem, sed uetus simia prohibuit ab incepto, eas docens, quòd facile capiantur, si intra muros concludantur: sic breuiter dices. Si uelis producere, sic: Simiæ conuenerunt, & consiliabantur de urbe condenda, quarum una in medium ueniens concionata est, quia oportet ipsas quoque ciuitatem habere. Videtis enim, aiebat, quòd ciuitatem habendo felices homines sint, domos etiam habent singuli, & in concionem uniuersi, & in theatrũ ascendentes delectãt animos spectationibus, & auditionibus uarijs.

Et sic proferes orationem in orando, dicens, quod & plebiscitum scriptum est, & finges etiam orationem ueteris simiæ. Expositio autem fabularum uult circuitionibus carere, & iucundior esse. Sed oratio, qua utilitas fabulæ retegitur, quam ἐπιμύθιον uocāt, quod nos affabulationem possumus dicere, à quibusdam prima, à plerisq; rationabilius postrema ponitur. Sciendum uero, quod etiam oratores inter exempla solent fabulis uti.

FINIS.

FABVLARVM OMNIVM INDEX.

Bies & dumus. 46
Accipiter columbam insequens 72
Accipitres inter se inimici à columbis pacati 108
Adolescentes duo 25
Adolescens & catus 26
Adolescens in funere matris canens 94
Adolescens ex coitu infirmus 106
Adolescentes & coquus 159. 179
Adolescens & hirundo 193
Aegrotus & medicus 85. 161. 193
Aegyptius ad fidem hortatus 236
Aethiops 212
Agnus & lupus 5. 26. 183
Agricola & canes 30. 157. 177
Agricola & grues 31
Agricola mercaturam affectans 92
Agricola & poeta 100
Agricola ab ape ictus 136
Agricola & filij 157. 178
Agricola & pelargus 182
Agricola 213
Alcedo 215
Ales & eius pulli 46
Amici duo & ursus 42. 158. 179
Amicorum dei paucitas 238

Amnis suum fontem conuitijs lacessat 92
Anguilla conqueritur quod magis quàm serpens infestetur 77
Anseres 38
Anser 50
Anseres & grues 207
Anus & ancillæ 37
Anus dæmonem accusat 83
Aper & asinus 7
Aper & rusticus 49
Aper asinum ad certamen prouocat 122
Apes & Iupiter 192
Apiarius 214
Aquila & cornicula 9
Aquila & coruus 32. 166
Aquila & pica 80
Aquila filios cuniculi rapiens 102
Aquila pulchritudine se cæteris auibus præfert 115
Aquila & uulpes 166
Aquila & crabro 167
Aquila & homo 173
Aquila & testudo 207
Aquila 227
Aranea & podagra 63
Aranea & hirundo 73
Arbores pulchræ & deformis 75
Aries cum tauro pugnans 101
Arion & delphinus 61
Arundo nidulum ab auicula petens 134
Arundo & olea 159

Asinus & aper 7
Asinus & canis 10
Asinus & equus 37. 195
Asinus & uiatores 53
Asinus 36. 41. 54
Asinus & uitulus 74
Asinus, simia, talpa 77
Asinus & scurra 92
Asinus ægrotans à lupis uisitatur 95
Asinus laborum finem non inueniens 96
Asinus hero ingrato seruiens 97
Asinus tubicen, & lepus tabellarius 108
Asinus porco inuidens 120
Asinus moriens uinum effundit 133
Asinus & lupus 195. 162
Asinus & Iupiter 194
Asinus & leo 208
Asini 223
Asinus syluestris 223
Asinus & uulpes 224. 225
Asinus & ranæ 224
Asinus & coruus 224
Asinum erudire promittens 236
Auarus & inuidus 47
Auarus poma marcescentia comedens 142
Auarus nimis agros custodiens 142
Auarus 207
Auceps & palumbus 28
Auceps & uipera 160
Auceps & fringilla 85

Auceps & merula 162
Auceps 185
Aues & quadrupedes 20
Aues 35
Aues scarabeos timentes 85
Auriga & rota currus stridens 103
Aues plures reges eligere consultant 93

B

BOs & rana 18
Bos & iuuencus 51
Bos à deo cornua petit 140
Boum somnium de pascuis 149
Buboni suos filios præ cæteris placere 117
Bubulcus 227
Buccinator 28
Butalis 212

C

CAlamus & oliua 180
Caluus crines ascititios amittens 164
Camelus 42. 225
Cancris mater & filia 41
Cancer & serpens 210
Cancer & uulpes 218
Canis & umbra 6
Canis uenaticus 14
Canis & asinus 10
Canis & lanius 26
Canis & ouis 26
Canis inuidus & bos 33
Canis & leo 51

Canis mordax 42
Canes urbani uillaticum insequuntur 83
Canis & herus 84
Canis domini oues comedens suspensus 101
Canis asinum deferens, quod ei panem non dederat 115
Canis cor pecoris eripiens 161
Canis pluuiam timens quod feruenti coctus fuerat 219
Canis & asini societas 132
Canis filium domini occidens 136
Canis ad cœnam uocatus 172
Canis & lupus 186
Canis carnes portans 187
Canis & gallus 204
Canes 217
Cantilena tabernarijs placita 237
Capones pingues & macer 74
Capra & canis 136
Carbonarius & fullo 28. 154
Carduelis & puer 87
Cassita 56. 206
Castor uirilia sibi amputans 160. 185
Cata in fœminam mutata 176
Catus & gallus 169
Cera duritiem appetens 91
Cerua 208
Cerua & leo 182. 208
Cerua & uitis 208
Ceruus & lupus 16
Ceruus 20
Ceruus & boues 28

Cicada & formica 56
Cicadæ & formicæ 203
Ciconia & uulpecula 16
Cingularis animal & uulpes 206
Citharœdus 218
Claudus primum accubitum occupans 138
Cochlea sitam domum secum ferre petens 98
Cochleæ 213
Columba & formica 209
Coluber & rusticus 7
Columba & milui 13
Columba & pica 73
Columba 226
Columba & cornix 226
Coriarius emens pellem ursi nondum capti 89
Cornicula & aquila 9
Cornix & ouis 33
Cornix & urna 48
Cornix & canis 219
Cornix & coruus 219
Coruus & uulpecula 9
Coruus & lupi 60
Coruus & uulpes 186
Coruus ægrotans 187
Coruus & serpens 220
Cuculus & accipiter 73
Culex & apes 108
Culex & leo 228
Cygnus & ciconia 76
Cygnus 212

D

Daemon de morte diuitum lætante, pauperum uero mœsto 146
Damon uxorem recusat 148
Delector militum 132
Derisio porcum occidere uolentis 234
Dives & seruus 82
Dives & fortuna 111
Dives 226

E

Epiphania uir an fœmina 236
Episcopus & sacerdos 114
Eques caluus 43
Equus & asinus 19. 155
Equus & ceruus 24
Equus & leo 19
Equus incultus 105
Eremita uirgo ægrotans 81
Eremita & miles 90
Erinacius & uipera 99

F

Faber & canis 184
Felis murem & caseum comedens 118
Felis in fœminam mutata 156. 176
Fœmina maritum uerberans 150
Ficedula & turdus 124
Filius hortulam ab urtica punctus 121
Filius senis & leo 164
Florentinus equum emens 235
Formica & musca 18

Formica 35. 191. 222
Formica & cicada 39. 203
Fortuna & ruſticus 44
Fur & canis 13
Fures 219

G

Gallina & pullus 127
Galli inter ſe pugnantes 135. 190
Gallina & hirundo 225
Gallina auripara 228
Gallina & uulpes 197
Gallus gallinaceus 5
Gallus & catus 31
Gallus uulpinam pellem fugiens 122
Gallus & perdix 153
Galli & perdix 171
Gallus & uulpes 230
Glires quercum eruere uolentes 84
Graculus 17
Grammaticus aſinum docens 125
Grus & lupus 7
Grues & agricola 31
Grues & anſeres 207

H

Hinnulus 206
Hirundines 12
Hirundo & cornix 212
Hirundo & gallina 225
Hirundo & adoleſcens 193
Homo & leo 197

Homo & pulex 202
Homo à cane morsus 158. 178
Homo & ligneus deus 172
Hœdus & lupus 15. 36. 218
Hydrus & rana 137

I

Impossibilia promittens 204
Inimici duo 180
Insanus sapientiam uendens 144
Iudæus Christianus factus 238
Iupiter & simia 38
Iupiter 201. 221
Iupiter & coruus 183
Iupiter & apes 192
Iupiter & asinus 294.
Iuuenis & senex 72
Iuuenis uxorem ducturus 137

L

Læna & uulpes 189
Legatus auarus tibicines decipit 78
Leo & quædam alia animalia 6. 36
Leo senectute confectus 9. 188
Leo & mus 11. 90
Leo & homo 197
Leo & uulpecula 23
Leo & rana 35. 187
Leo & capra 37
Leo & taurus 40. 188
Leo & capella 47
Leo & uenator 48

Leo & porcus 107
Leonis conuiuium 118
Leo & ceruus 131
Leo à uulpe edoctus 139
Leo & lupus 145. 210
Leo, asinus & uulpes 189
Leo rustici filiam amans 189
Leo & ursus 205
Leo & asinus 208
Lepus uulpi se præferens 99
Lepus calliditatem, uulpes celeritatem petunt 105
Lepores 15. 195. 223
Lepores & ranæ 195
Lepus tabellarius, & asinus tubicen 108
Lepus & testudo 199
Lignator 193
Ligneus deus 172
Lima & uipera 21
Lupus & agnus 5. 190
Lupus & grus 7. 190
Lupus & succula 14
Lupus & hœdus 15
Lupus & ceruus 16
Lupus & caput pictum 17
Lupus & uulpes 20
Lupi & agni 21
Lupus & canis 29
Lupus & hystrix 97
Lupus piscis regnum maris affectat 103
Lupus religioni se addicit 125

Lupus in fossam lapsus à uulpe irrisus 128
Lupus oues inuasurus impeditur 128
Lupus cambus inter se pugnantibus gregē aggreditur 133
Lupus ouis pelle indutus 100
Lupus esuriens 146
Lupus & asinus 162. 195
Lupus & pastor 210
Lupus & leo 210
Lupus & ouis 221
Lupus & uetula 228
Luscinia & pauo 33
Luscinia cantum pro uita pollicens 107

M

Malus arbor 143
Malus & punica arbores 200
Mantuani apologus 34
Mare & pastor 200
Maritus & uxor 217
Medicus 185
Medicus & ægrotus 193
Medicus insanos curans 239
Medicus indoctus 242
Membra & uenter 22. 61
Mercurius & Tiresias 216
Mercurius 221
Mercurius & statuarius 216
Merula miluum extimescens 135
Miles & equus 86
Miles in oppido obsidendo includi negat, quòd à longe auxilia sint petenda 149

Miles & eremita 90
Miles & uxor litigiosa 232
Milui & columba 13
Miluus ægrotus 11
Miluus & accipiter 143
Minatij consilium 241
Minatij responsio 241
Monedula & pauo 205
Monedula & columbæ 220
Monedula 220
Morio crucifixum pro thuribulo afferens 126
Mulier uirũ morientem flens & à patre consolata 76
Mulier amatoris discessum flens 76
Mulier pro uiro mori exoptat 94
Mulier ignem in mariti domum inferens 109
Mulier & gallina 158. 178. 196.
Mulier & medicus 177
Mulier ob turdos uerberata 120
Mulier uerberata mortuam se simulans 143
Mulier 211
Mulier & ancillæ 213
Mulier uenefica 213
Mulier obstinata uirum pediculosum uocans 231
Mula 184
Mulus & equus 88
Mus urbanus & rusticus 8
Mus & leo 11
Mus in cista natus 72
Mus & felis 97
Mus miluum liberat 98

Mures & ranæ 6
Mures & catus 148. 182
Muſca & formica 18
Muſca 192. 216
Muſca quadrigis inſidens 77
Muſtela & mures 33

N

NAutæ ſanctorum auxilium implorantes 77
Nuci, aſino, mulieri, uerbera prodeſſe 96
Nutrix & lupus 40

O

OLea tarde, & cucurbita cito creſcens 117
Ollæ duæ 43
Olitor & talpa 129
Olitor & canis 209
Opilio & agricolæ 32
Opilio inter canes lupum alens 121
Ouis & lupus 222
Ouis & paſtor 103
Ouis capta 141
Oues immoderate ſegetem depaſcentes 144

P

PArdalis & ſimiæ 55
Pardus & uulpecula 52
Pardalis & uulpes 52
Partus montium 14
Paſtor & grex 122
Paſtor & mare 200
Paſtor artem nauticam exercens 163
Paſtor & lupus 210

Pastor 227
Pater & filij 27
Pater filium ad uirtutes frustra adhortans 100
Pater familiâs & canis 131
Pauo & luscinia 33
Pauo & grus 45
Pauo à milite pennis spoliatus 141
Pauo & monedula 205
Pauper domus ruinam deflens 116
Pecuniam potius ad malos quàm ad bonos peruenire 117
Perdix & gallus 153
Perdix & uenator 198
Petri Criniti fabula 60
Philomela & accipiter 168
Philosophus Cynicus 139
Pica pro accipitre cuculum fugiens 134
Pigritia adolescentis 229
Piscator & piscículus 39. 46
Piscator & smaris piscículus 170
Piscatores 54. 174. 175
Piscator 155. 174.
Pisces 52
Pisces è sartagine in prunas desilientes 78
Politiani fabula 59
Porcellus & testamentum patris 144
Porcus & equus 89
Porcus quando gratiam referat 135
Porcus lætus morte inimici 147
Prætor repetundarum damnatus 109
Psittacus 114. 139

Puer

Puer & fur 48. 199
Puer & fortuna 181
Puer oues pascens 186
Puer & scorpio 198
Puer discere nolens 140
Puer & mater 163
Pulex 202
Pullus gallinæ 127
Pulex & homo 202
Punica & malus arbores 200

Q

Quadrupedum cum piscibus societas 78
Quercus & arundo 39. 45

R

Ranæ & mures 6
Ranæ & earum rex 12. 176
Rana & bos 18
Rana & leo 187
Ranæ & lepores 195
Rana & uulpes 43. 196
Ranæ 204
Ranæ duæ 214
Rex & simiæ 53
Rusticus & coluber 7. 16
Rusticus & equus 27
Rusticus & fortuna 43
Rusticus & iuuencus 48
Rusticus & Hercules 50
Rusticus impetrat ut triticum absq; aristis nascatur 72
Rusticus amnem transiturus 73

Rusticus & mus 81
Rusticus per uocem hœdi ad iurisconsultum admissus 105

S

Sacerdos pira urina conspersa comedens 88
Sacerdos uestales prægnantes faciens 113
Sacerdos caniculum sepeliens 232
Sacerdos puero turdos assandos committit 123
Scarabeus & aquila 55
Salix & securis 199
Sancti Anthonij frater, laicus & lupus 237
Satyrus & rusticus 56
Satyrus & uiator 49
Scorpio & puer 198
Scurra & episcopus 87
Securis & salix 199
Senex puellam uxorem ducens 80
Senex mortem differri cupiens 109
Senex ob impotentiam libidinem carnis relinquens 99
Senex & iuuenis 72
Senex à filio iectus 140
Senex mortem uocans 177
Senex & iuuenis 106
Senex asinum portans 233
Serpens saxo oppressus 126
Serpens & agricola 196
Serpens 226
Serpens & cancer 210
Seruus asinum heri de rupe deijciens 134
Simia & uulpecula 22. 181.
Simia & eius proles 44. 51.

Simia 202
Simiæ & pardalis 55
Simius & delphis 215
Sol & aquilo 41
Somnians aurum 248
Sucula & lupus 14
Sus & canis 86. 209
Sylua & ruſticus 22

T

TAlpa & mater 202
Taurus & caper 44
Tauri & leo 45
Taurus & mus 49
Temerarius aſinum curans 141
Terræ partus 62
Teſtudo & aquila 410 115. 207
Teſtudo & ranæ 83
Teſtudo & lepus 199
Tigris & uulpes 45
Thynnus & delphinus 160. 184
Trabs & boues eum trahentes 75. 86
Tubicen 159. 183
Turdus & hirundo amicitiam ineunt 80
Turdus & uicedula 124
Turdus per uiſcum captus 142

V

VAtes 161. 191
Venator & perdix 198
Venter & membra 22. 61
Vermis & uulpes 228

Vespæ, perdices, agricola 201
Vespertilio, rubus & mergus 205
Vespertilio & mustela 222
Viator peram inueniens 162. 197
Viatores 214. 223
Vipera & lima 21
Vipera & erinaceus 99
Vir Cardinali nuper creato gratulatur 79
Vidua uirum petens 82
Vidua & asinus uiridis 102
Vidua operarium suum sibi coniugio copulat 112
Vir & uxor bigami 90
Vir malignus & dæmon 93
Vir zelotypus mulierem custodiendam tradens 94
Vir clysteria recusans 95
Vir amicos experiri uolens 104
Vir auarus saccum nummorum alloquens 110
Vir deflens uxorem mortuam 113
Vir de morte patri piscículos scisćitatur 119
Vir uicini conuitia uesica propellens 119
Vir uxoris mentem experiens 121
Vir ouum peperisse uxori dicens 123
Vir auarus moriens 124
Vir ab uxore uerberatus 150
Vir lapidatus resurgens 126
Vir inops literatus, diues illiteratus 129
Vir beneficus in latrones incidens 136
Vir decrepitus arbores inserit 137
Vir thesaurum conscio compatre abdens 138
Vir uxorem non cognoscens ut felix euaderet 145

Vir sepem ut inutilem destruit 146
Vir felicitatis se autorem faciens, infelicitatis uero fortunam 149
Vir iactabundus 154
Vir Apollinem tentans 155
Vir & satyrus 156
Vir ad cœnam uocatus 172
Vir agricola 173
Vir inops & infirmus 175
Vir & uxores 203
Vitula & bos 180
Vitulus & cerua 192
Vitis & cerua 208
Vlmus & siler 91
Vpupa indigne honorata 87
Vrsus uxori oculum eruens 130
Vrsus & apes 85
Vrsus & leo 205
Vulpecula & mustela 24
Vulpecula & ciconia 16
Vulpes & aquila 31
Vulpes & leo 30
Vulpes & felis 53
Vulpecula & pardalis 53
Vulpes & mulieres gallinam edentes 74
Vulpes in puteũ delapsa, lupũ ut eam subducat orat 118
Vulpes capta à gallo proditur 127
Vulpes gallinas metu canis aggredi non ausa 127
Vulpes carnes leporis cani laudat 104
Vulpes se defunctam simulans capitur 130

Vulpes gallinam incubantem occidere uolens 132
Vulpes capta à ruſtico dimitti orat 147
Vulpes & caper 152
Vulpes & leo 153. 169
Vulpes & caput repertum 154.
Vulpes & tragus 168
Vulpes ſine cauda 169
Vulpes & rubus 170
Vulpes & crocodilus 170
Vulpes & uenatores 171
Vulpes & pardus 156. 175
Vulpes & larua 172
Vulpes eſuriens 174
Vulpes & leæna 239
Vulpes & cingularis animal 206
Vulpes foramen domus modo dilatari, modo contrahi cupit 116
Vulpes & rana 196
Vulpes & gallina 197
Vulpes 198
Vulpes à ruſtico in palea abſcondita 235
Vultur & aliæ aues 38
Vultur prædam non dimittens, à canibus captus 129
Vxor in flumine peremptæ quæritur 231

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

INDEX DISTICHA IO. FR. Quintiani in Fabulas Ouidij Metamorphoseon exhibens.

Lib. I.	244	*Lib.* IX.	269
Lib. II.	249	*Lib.* X.	271
Lib. III.	251	*Lib.* XI.	274
Lib. IIII.	253	*Lib.* XII.	276
Lib. V.	257	*Lib.* XIII.	277
Lib. VI.	259	*Lib.* XIIII.	278
Lib. VII.	263	*Lib.* XV.	281
Lib. VIII.	267		

FINIS.

FABVLARVM QVAE HOC libello continentur interpretes atq; autores.

Guilielmus Goudonus, Pagina	5
Hadrianus Barlandus	35. 39
Anianus	40
Guilielmus Hermannus	40
Eraſmus Roterodamus	52
Aulus Gellius	57
Angelus Politianus	59
Petrus Crinitus	60
Ioannes Antonius Campanus	60
Plinius ſecundus Nouocomenſis	61
Nicolaus Gerbellius Phorcenſis	63
Laurentius Abſtemius	67
Laurentius Valla	151
Rimicius	165
Poggius	229
Io. Fr. Quintianus Stoa	244

Bayerische Staatsbibliothek München

Horatius respertus Fabricius Baldinus Florentinus

Brüder Friderich Haeckermann
zu Glarus zu Landen

1574

Jacob Haeckermann
Glarus 1574

Oberm.

p. 125

Oberm.

n. 125

Oberm.

n. 125